…ICATA,
IN QUA …
… Thoma petitis, ostenditur
… AVISSIMIS ARGUMEMTIS
… NGELICUM
… OCTOREM.
P… IMACULATO CONCEPTU
…EIPARÆ
Sensisse & Sscripsisse
Authore
COELESTINO
SPONDRATI
Ex Ord. S. Benedicti
Prius Sac: Rom: Imp: Principe
& Abbate S. Galli,
Deinde
S. R. E. Cardinali
Alibi sæpiùs, reimpressus, nunc
SANDOMIRIÆ.

Typis S. R. M- Collegii Soc JESU,
Anno Domini 1758.

APPROBATIO

LIbellus, cui titulus: *Innocent[ia] Vindicatata, in qua gravissimis a[r]gumentis, ex S. Thoma petitis, osten[]ditur Angelicum Doctorem pro Immacula[to] Conceptu DEIparæ sensisse & scripsisse, Au[]ctore Cælestino Sfondrati ex Ordine S. Be[]nedicti, prius S. R. I Principe, deinde S. R E. Cardinali, editus alibi sæpius.* Nunc autem denuo, pro augendo Immaculatæ Virginis cultu, ut reimprimatur, facultatem dedit: Sandomiriæ Die 29. Septembris 1757.

JOANNES CANTIUS LIGĘZA.
S. T. D. Insignis Collegiatæ Sandomiriensis Canonicus, Plebanus Troiecensis, Censor librorum Delegatus.
mpp.

PRÆFATIO

Ad amicum præstantissimi ominis Theologum, eximi- mque Doctorem, contrariæ opinionis Assertorem.

DUdum est, Vir præstantissime; quo amicitiâ tuâ familiariter usus, ab ea Te opinione purgare optaveram, quā ontra Virginis nostræ Immaculatum Conceptum altè imbiberas. Tu quip- e innocentiam Deiparæ Virginis

peccato originali defloratam contendis, reliquo Orbe Illibatam clamante. Equidem observavi, caussas flagrantis dissidii à Tuo, meóque Angelico Doctore proficisci. Tibi enim indignum videbatur, si, quam ille sententiam amplexus fuerat, non utroque brachio sustineres. *Thomas edixit, ergo rea est Virgo*; hæc consecutio tam altè animo Tuo insedit; ut nullis rationibus refigi posset. Et verò negari haud debet, nihil hactenus Virginis Caussæ adeò nocuisse, ut vulgatam opinionem, contra illam Thomam militâsse. Quis enim crederet innocentem, quam Angelus accusaret? At ego, qui & purissimæ huic Virgini calamum dicavi, & Thomæ Aquinatis Discipulum me profiteor, Tibi semper addictissimus vixi; statui in veritatem, Sanctique Doctoris sententiam inquirere, Téque hoc nodo liberare, quo unicè tenebaris; ac unâ, eâdémque operâ ostendere, nec ream esse Virginem, nec Thomam accusatorem. Ubi enim in

ma-

manus Tuas devenerint, quæ de hoc argumento conſcripſi, in ſpem adducor, Te quoque ad pedes Virginis calamum tandem poſiturum, parique ardore illius Innocentiam defenſurum, quo hactenus impugnâſti; ſicque finitis bellis, & pace jurata, Virginem noſtram de peccato triumphaturam, Te quoque, Tuiſque ad currum, & in obſequium euntibus.

Enim verò nemo inficias iverit, Te magnam eſſe, nobilémque Eccleſiæ partem, quam ſelectâ doctrinâ, rebusque longè latéque pro Catholica Religione geſtis præclarè ornâſti; ſed illud quoque verum eſt, nihil æquè famæ, nominique Tuo apud Mortales interceſſurum, quàm ſi ſolus ab omnium ſententia, & cultu ſecedas, ac Virginis Innocentiam accuſes. Amabò Te, quantò conſultius eſſet, cum Eccleſia ſentire, ſicque communi pace & concordiâ frui, quàm aliqua ex parte tot illa bona morari, quæ alioquin virtutibus, & doctrinæ

Tuæ debentur? Et hactenus quidem Auctoritas Patrum, Sanctique Doctoris excusare Te poterat; his enim præsidiis Tuam causam purgabas; at hæc quoque exciderunt, jam enim Sole clariùs ostendemus, nec Patres, nec Angelicum Doctorem à Te stare. Quis enim magis Patrum sententias veneratur, & sequitur, quàm Ecclesia Catholica, Romanique Pontifices? & hi tamen Virginem nostram originali peccato liberam volunt, palamque Illibatam pronunciant; non ergo credunt; Virginis immunitatem Patrum sententiis obstare. Et quid Patrum suffragia, & decreta in ea causa producis, quam Patres ultrò, citròque auditis rationibus nunquam examinârunt, multoque minùs deciderunt? nec enim dici possunt decisa, quæ nunquã discussa. Sed & omnium Patrum nomine professus est Augustinus: *Quoties de peccatis agitur, nullam prorsus De B. Virgine quæstionem haberi velle, quæ vicit omni ex parte peccatum.* Si ergo Augustinus

nus nè quidem de peccato Virginis quæri vult, quantò minùs ſententiam dici? Magna eſt injuria, ſi de honeſta, & pudica quæratur, *an ſit corrupta?* at multò major de Virgine omnium puriſſima quærere, an ſit peccatrix? Et tu tamen, pace Tua dixerim, citatâ ad Tribunal Tuum Cœli Reginâ jam ſæpe decîdiſti, quod Auguſtinus nè quæri quidem voluit. Taceo, Patres non de conceptu Animæ, ſed Corporis loqui, cùm dicunt, excipi ſolum Chriſtum ab illa ſententia: *Et in peccatis concepit me Mater mea.* Nihil ergo Te Patres juvant, quorum tamen ſuffragiis opinionem Tuam præſertim adornabas.

Doctorem Angelicum quod attinet, tam clarum eſt, ex illius principiis Immaculatam Conceptionem probari, ut nihil magis; ille enim docet: *Eccleſiam non celebrare Feſtum niſi de Sancto;* & ideo Beatam Virginem abſque peccato originali eſſe natam. *Eccleſiæ conſvetudinem præſtare omnium Patrum auctoritati.*

Credendum esse, Beatæ Virgini tantum gratiæ collatum fuisse, quantum conferri potuit. DEI Matrem ea puritate nitere, quæ major sub DEO reperiri nequeat. Puritatem B. Virginis à puritate Divina in eo differre, non quòd B. Virgo aliquando peccatum incurrerit, sed quòd peccare possit, DEUS autem non possit. Fuisse ab omni peccato actuali, & originali immunem. Ex quibus Angelici Magistri principiis tam clarum est, sequi immunitatem Purissimæ Virginis à peccato originali, quàm clarum est, ex Solis adventu sequi diem & ex occasu noctem. Nec ullâ Theologiâ, aut ratiocinatione opus, ut ex hisce principiis non continuò intelligas, etiam hunc S. Doctorem pro Virginis Illibata Puritate militâsse. *At Ecclesia nihil pro Virgine decidit.* Esto, sed neque contra Virginem; imò invitat, rogat, colit, exemploque suo omnes Fideles provocat, allicitque, ut venerentur sinè macula Conceptam. Si ergo sinè Ecclesia Deiparam Virginem originalis culpæ Tu damnas, cur non

potiùs cum Ecclesia à peccato absolvis? quid expectas imperium, cùm exempla Te provocent? Matrem agit Ecclesia, non Dominam; & ideo sufficit exemplo præisse, quamvis imperiō cessante. Quid imperium & præceptum quæris, cùm de voto Ecclesiæ constet?

Si persvaderi mihi posset, Te aliquâ vanissimi honoris, & æstimationis umbrâ teneri, quò minùs antiquæ sententiæ renunties, & ideo nolle opinionem mutare, nè errâsse mutando videaris; continuò responderem: Imò id Tibi summæ gloriæ cessurum; nā quòd hactenus repugnâsti, amor, ut dicebas, & reverentia Patrum effecit, à quorum doctrina avelli non poteras, præsertim causâ necdum discussâ, Tuisque argumentis non planè convictis. Postquam verò veritatem edoctus, exempla Ecclesiæ vides, si arcem toties pulsatam, defensamque, nunc tandem dedas; veritati adscribent, & ingenuæ modestiæ, qua magni animi, & erudi-

ti-

ti plerumque abundant, nec ulla victoria tantum tibi gloriæ & amoris adjunget, quantum ſpontanea hæc ceſſio, vincente veritate. Revoca in animum Auguſtini Retractationes, quæ tanto Viro nihil obfuêre, ut non Aquila audiret, & maximus Doctorum. Sed nec autumnum haberemus, nec anni fertilitatem, niſi Sole retrogrado, tantum videlicet & Sapientis & mundi totius intereſt, aliquando mutâſſe. Hæc inquam dicerem Tibi, ſi in Cauſa tam ſancta vanis reſpectibus afflari cenſerem; ſed iſti à pietate Tua alieniſſimi ſunt, & ideo ſuperflua, quæ dixi, & importuna remedia nullum morbum experto. Quod ſi ſuſpectus Tibi, aut indignus videor, cujus conſilio obtemperes, ſaltem aures & animum dabis ipſis Ordinis Prædicatorum Sapientiſſimis celeberrimiſque Doctoribus, quos ego longo ordine producam, & quorum unum hic lubeat pro centum aliis audire. Is eſt Vincentius Juſtinianus *in Additioni-*

bus

bus ad Vitam B. Ludovici Beltrami c. 3. § 15. Jam, inquit, *in Hiſpania, in Indiis, in Gallia, totàque penè Europa contra piam opinionem aut ſcribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, quàm malè canere, & in malo cantu durare, & occaſionem dare, nè illud Terentii eis occinatur: Fruſtra niti, & laborando nihil aliud, quàm odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Magnæ prudentiæ fuerit, eam opinionem omnino deſerere: quemadmodum ii, qui collabentem jam domum vident (quod de muribus Plinius ſcribit) fugâ ſe ſubducunt.* Si ergo & pietatis Tuæ intereſt, & veritas urget tam clarè propoſita, & Ecclesiæ exempla invitant, & Tui quoque Doctores diſertè profitentur, & dignitas Virginis, amorque ei debitus exigunt, & nec patres, nec Angelicus noſter repugnant, imò impenſiſſimè favent; quid tandem cunctaris, Tibi, Virginique pacem donare? clamant omnia Templa, clamant omnia ſuggeſta, omnes Academiæ, omnes calami, omnes lingvæ, omnes Ponti-

tifices, & Immaculatam, ac liliô candidiorem dicunt; cur ergo nodum in ſcirpo, & maculas in Sole hoc quæris? Jam omnia ſuffragia convenêre pro Virginis integritate, ſupereſt Tuum, ut abſoluta dicatur. Licet Tibi accedere (cur enim Tibi non liceat, quod omnibus licet?) imò ut accedas, Eccleſia rogat, & præit. Impone tanto operi coronidem, & in Tuis quoque Tuorumque Sacrariis hoc trophæum & inſcriptio legatur: *Ara veritatis quam poſt ducentorum annorum grande certamen Virgini Immaculatæ, & de originali peccato triumphanti Pietas erexit omnium Chriſtianorum bello finito, pace compoſita, Innocentia Victrice.*

§. I.

§. I.

S. Thomas multis in locis docet Beatissimam Virginem fuisse Immaculatè Conceptam.

SUMMARIA.

1. *Divi Thomæ pro Immaculata Conceptione Testimonia ex 1. Sent. d. 44. q. 1. a. 3. & aliquorum interpretationes expugnatæ.*
2. *Et ex Epistola ad Galat. c. 3. l. 6. juxta editiones Viennensem, Parisiensem, Lugdunensem, Venetam.*
3. *Et ex opusculo 4. Salutat. Angelicæ.*
4. *Et ex Epistola ad Romanos; Ubi Ferdinandi Guevarræ luculenta narratio exhibetur.*
5. *Et ex testimonio Episcopi Patavini.*
6. *Et ex quatuor aliis locis D. Thomæ.*
7. *Et ex 3. p. q. 27. a. 2. & denique ex testimonio insignium Theologorum S. Ordinis Dominicani, fatentium, D. Thomam Immaculatæ Conceptioni patrocinari.*

I.

I.

PRimus locus habetur 1. *Sent. d.* 44. *q.* 1. *a.* 3. In hoc articulo quærit D. Thomas, an B. Virgo fuerit omnium Creaturarum Puriſſima, ità ut purior eſſe non potuerit? & reſpondet: *Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid creatum reperiri, quo nihil purius eſſe poſſit in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati infectum ſit; & talis fuit puritas B Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit tamen ſub DEO, quatenus fuit in potentia ad peccandum.* Nihil clarius dici poterat pro Immaculata Conceptione. Singula expende.

Primò. Dicit, tantam fuiſſe B. Virginis puritatem, ut *in rebus creatis major eſſe non potuerit;* at major eſſe poterat, ſi peccatum originale contraxit; fuiſſet enim purior, ſi non contraxiſſet; quis enim neget purius eſſe lilium, quod candidum naſcitur; quàm pannum

num ſordidum quidem, at tandem lotum? & Virgo purior utique, quæ nunquam corrupta, quàm quæ ſemel pudore amiſſo deinceps pudica. An verò de Magdalena peccatrice, ſed pœnitente dici poſſit: *Tanta puritate nituiſſe, qua major in rebus creatis eſſe non poſſit*, quia nullum peccatum habuit, poſtquam pœnituit? Ut ergo Creatura aliqua puriſſima dici poſſit, adeò ut purior eſſe nequeat, non ſufficit, ut nullum peccatum habeat [id enim plurimis & infantibus, & adultis contingit, qui abſque peccato moriuntur) ſed inſuper requiritur, ut nullo peccato corrupta fuerit, alioquin purior eſſe poterat, ſi videlicet nunquam corrupta.

Secundò. Non ſolùm dicit S. Thomas B. Virginem *omni peccato originali, & actuali caruiſſe*, quod Joanni Baptiſtæ, & Jeremiæ, & omnibus parvulis Baptiſmo tinctis contigit (iſti enim omni peccato originali, & actuali carent) ſed ab omni peccato originali fuiſſe *immunem*; quod nulli hominum

num concessum; non verò immunis dici potest à peccato originali, qui semel illud contraxit; sicut immunis à tributo dici non potest, qui illud solvit, quoties debuit, quamvis postquam illud solvit, non ampliùs debeat. Sicut etiam homines non possunt dici immunes à mortalitate, quia hac semel expleta deinceps immortales sunt. Si immunis à peccato originali B. Virgo, ergo nunquam illud contraxit; aut si contraxit; non magis immunis, quàm reliqui hominum, qui non pluries, quàm semel illo fœdantur.

Tertiò. D. Thomas in hoc Beatissimæ Virginis puritatem cum Divina comparat, *quòd nec DEUS, nec Beatissima Virgo unquam peccaverint*, sed in eo distinguit: *quòd B. Virgo peccare possit, DEUS non possit.* DEUS naturâ, illa privilegiô intacta; DEUS suo, illa alieno splendore pulchra; DEO adamantis, illâ vitri naturam imitante; quippe frangi ille non potest; vitrum potest, nî custodias. At si Beatissima

Vir-

Virgo aliquando peccatum originale commisit, non tantùm in hoc DEO dispar, quòd posset peccare, sed etiam in hoc, quòd aliquando peccaverit. Hæc est clara & indubitata mens S. Doctoris, nec reverà ulli tergiversationi locum relinquit.

Et tamenBergomensis in Tabula aurea scribit, S. Thomam eo loco tantùm id velle, *quòd B. Virgo peccato originali caruerit, non autem quòd illud nunquam contraxerit.*

Respondeo. Si contraxit, ergo immunis non fuit, ergo puritas B. Virginis non eo solùm à Divina distinguitur, quòd DEUS non possit, B. Virgo possit; sed etiam in eo: quòd DEUS nec peccaverit, nec peccare possit; B. Virgo & possit peccare, & peccaverit. Ergo falsum est, tantam esse Beatissimæ Virginis puritatem, ut major in creaturis esse nequeat; posset enim major esse, si nunquam peccâsset. Ergo & infantes, qui post Baptismum moriuntur, dicendi erunt tanta puritate nitere, qua

in

in rebus creatis major esse nequeat, nam & isti omni peccato carent, tam originali, quàm actuali; at hæc omnia sunt contra expressam D. Thomæ sententiam loco citato, & tam falsa, ut nihil amplius. Bergomensis ergo infeliciter Divi Thomæ sententiam interpretatur: & ideo *alii*, ut faciliùs se hoc testimonio liberarent, quippe tam claro, illud expungendum curârunt. Notat enim Catharinus *l. 2. de Immaculata Conceptione § ad hæc.* Et Raynaudus *Tomo 8 fol. 291.* in editione Antverpiensi, cui Cosmas Morellus præfuit, omissum fuisse: repugnante licèt, & ægerrimè id ferente Sacro Ordine Prædicatorum.

II. *Secundus locus* D. Thomæ habetur in *c. 3. Epist. ad Galat. lect. 6.* ubi *Non inveni*, inquit, *mulierem à peccato originali, vel actuali omnino immunem, præter purissimam, & omni laude dignissimam Virginem Mariam.* Ità habet editio antiquissima Bibliothecæ Viēnensis in Collegio Societatis JESU apud Al-

Allobrogas. Et editio anni 1529. apud Patres Minimos Tolosæ, allegaturque hic locus à P. Henriquez *l. 3. Summæ cap. 11. lit. M.* & Pineda in *c. 7. Ecclesiast. n. 29.* & in editionibus Parisiensi Anno 1529. & 1532. & 1541. & 1592. & Lugdunensi Anno 1541. & Veneta Anno 1555. & Anno 1590. Sed in recentioribus editionibus omissa. Et quidem editionem Venetam Anni 1555. profitetur Joannes Albertus Castrenus Dominicanus ex correctissimis exemplaribus editam esse. Sed quidam Remigius Florentinus in sua recentiori editione Antverpiensi Anni 1591. verba, quæ favebant Immaculatæ Conceptioni, intrepidè expunxit, adjectâ lituræ causâ, *quia*, inquit, *non bene addita sunt in editione Veneta* Vid. Velasquez *de Maria Immaculatè Concepta f. 40.*

III. *Tertius locus* S. Thomæ est ex *Opusc. 4. de Salutat. Angeli.* in qua olim sic legebatur: *Maria purissima fuit quantùm ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum aliquando*

in

incurrit. Ita hoc teſtimonium D. Thomæ citant Salmeron in *Epiſt. ad Romanos d. 51.* Obiit verò Anno 1585. & Petrus Caniſius *l. 1. de B. Virg. cap. 6.* Obiit 1597. Uterque magnæ doctrinæ, pariſque ſanctitatis, ut fraudis ſuſpecti eſſe non poſſint; ſed in ultimis editionibus omiſſum eſt, cùm tamen habeatur in Manuſcripto Pariſienſi (Monaſterio Patrum Præmonſtratenſium prope Lovanium) in Manuſcripto Bibliothecæ Corſendoncanæ Canonicorum Regularium prope Thurnantum in folio, chartaque Pergamena. In Manuſcripto Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis *num. 690.* In Manuſcr. Monaſterii S. Martini Lovanienſis *lit. O. num. 7.* Itemque in editione impreſſa Monaſterii in Boom. B. V. Ord: S. Brigittæ in Ducatu Clivienſi *Opuſculo 8.* Et in alia editione Patrum Franciſcanorum Coloniæ. Teſtaturque P. Petrus de Alva, & Aſtorga Procurator Generalis *fol. 945. in l. de Immaculata Conceptione*, nullum à ſe hactenus viſum

eſſe

esse Codicem Manuscriptum antiquum, in quo non sit ista clausula. *Quia neque originale, neque mortale, neque veniale peccatum incurrit.*

IV. *Quartus locus* est in *Epist ad Rom. c. 5.* ubi: *Omnes in Adam peccaverunt, excepta Beatissima Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Ità legitur in Manuscripto Codice Bibliothecæ Sfortianæ, reperto sub Urbano VIII. quodquè producitur ab Eusebio Nierenbergio in exceptionibus Concilii Tridentini *f. 188.* Audi ipsam narrationem, ac testimonium Ferdinandi Guevarræ Confessarii ac Theologi Cardinalis de Trexo Anno 1625.

Ego Don Ferdinandus Guevarra & Adorno, natione Siculus ex fidelissima Civitate Cæsar-augustana, jam incorporatus, & ut ità dicam, naturalizatus, ac omnium Privilegiorum in Regno Castellæ capax, eo quòd in dicto Regno Castellæ fuerim Capellanus Regiæ Majestatis 23. annis, in Suo Regio Senatu Castellæ. Canonicus & dignitas Ecclesiæ Asturicensis, & Abbas S. Jacobi de Pe-

na-

nalua: *Testificor ac fidem facio, quòd dum Romæ vixi Anno Redemptionis 1625. in Domo Eminentiss. Cardinalis de Trexo, suæ Eminentiæ Theologi & Confessoris munus subiens, omnes exploravi Bibliothecas, ut aliquem librùm invenirem, qui mihi conducat ad explanandam Pyramidem in platea S. Mariæ de populo sitam, mihiq; uberiorem lucem, & notitiam aperiret, de re tam antiqua, obscura, ac penè inexplicabili, ob Hieroglyphicorum characterum varietatem; postquam verò intravi Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Sforza, quemdam librum inveni fortuitò ex Operibus S. Thomæ super Epistolas S. Pauli, ad magnitudinem unius Missalis, ex litera perantiqua, tabulis coopertum. Ego, quippe singulari devotione permotus, illum textum exquisivi:* Omnes in Adam peccaverunt, &c. *Super quem textum asserit Sanctus, ùt patenter vidi,* una excepta B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati. *Quamobrem obnixè supplicabam Emin. D. Cardinali Sforza, ut mihi faceret copiam ferendi mecum dictum Commentarium S. Thomæ*

mæ per dimidium horæ, mox utique in suum proprium locum restituendum. Cæterùm quia hic Tomus fuit ex Bibliotheca Secreta, sua Eminentia in principio fortiter reluctabatur, donec tandem ardenti meo desiderio, urgentioribus precibus, & instantiis acquievit; Ego confestim hunc librum ostendi Emin. Domino ac D. Cardinali de Trexo, qui magnâ lætitiâ affectus, quòd viderit rem tam antiquam, ac Doctorem Angelicum excipientem ad literam illius textûs: Omnes peccaverunt in Adam, *Virginem Beatissimam, absque mora decrevit adire Summum Pontificem Urbanum VIII. felicis mem. eumque de hac re admonere. Verùm ego replicabam dicendo, congruum fuisse, antequam ad suam Sanctitatem accederet, ut experiretur, si fortè aliæ editiones modernæ super prædictas Epistolas S. Pauli, quæ fuissent ejusdem Authoris D. Thomæ, cum illa antiqua concordâssent, quod ità effectum est; nam adhibitâ diligentiâ tres Tomos invenimus, ac inspeximus novæ editionis ac ejusdem S. Thomæ, super relatas Epistolas Pauli, quorum unus fuit excusus Romæ, alter Mediolani, & Tertius Neapo-*

li, in nullo tamen invenimus verba Doctoris Angelici super textum illum S. Pauli: Omnes in Adam peccaverunt, &c. *quæ in Tomo illo antiquo ipsius Sancti manifestè vidimus. Unde prædictus D. Card. de Trexo, cum majore animi determinatione, ac proposito præcepit, statim sibi adduci lecticam, licèt pluvia instar torrentis cecidisset, adiitque continuò suam Sanctitatem, secum ferens librum antiquum, & tres noviores jam relatos, rogavitque cum magna animi teneritudine, reverentia, & humilitate, ut sua Sanctitas veritatem cernere dignaretur, ac judicare, quam opinionem, aut mentem habuerit S. Thomas. Qui sine æquivocatione, aut plurium verborum ambage illa jam suprà relata clarissimè asseruit;* Una excepta B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati. *Quæ omnia verba modernis defuerunt impressionibus, quemadmodũ sua Sanctitas luculenter videbat; qui propterea demiratus muniendo se sæpius signo Sanctæ Crucis dixit: Rem esse magni momenti, ac consideratione dignã, sibiq; magnã novitatem, ac admirationem attulisse; scireq; voluit, ubi-*

binam fuit inventus dictus liber, quisve eum Domino Cardinali tradiderit? Respondit sua Eminentia, suum proprium Confessorem, ac Theologum Dominum Ferdinandum Guevarra & Adorno ei monstrasse ac dedisse librum hunc, sub conditione tamen, quòd illico proprio suo Domino restituatur.

V. *Quintò.* Narrat Bernardinus de Bustis *Serm. 7. Concept.* Joan. de Carth. in *homil. de Arcan. Deip. fol. 70.* Fantino Patavii Episcopo admiranti, quòd D. Tomas peccatum originale Virgini adscripsisset, apparuisse Angelicum Doctorem, & dixisse: *Scias Episcope, quòd solum respectum habui ad Divinum statutum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, ni per Filium suum fuisset præservata; sed DEI Filius Matrem suam ab originali macula præservavit.* Hæc omnia Vicarius ipsius Episcopi fidelissimè exposuit, asserens, se à præfato Domino Episcopo hanc visionem propriis auribus audivisse. Ità Bernardinus.

VI. *Sextò.* S. Thomas quatuor diversis locis adducit, & probat notam il-

lam S. Anſelmi ſententiam, videlicet: *Decuit, ut Virgo, quam Deus Unigenito ſuo præparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua major ſub DEO reperiri non poteſt.* Hanc, inquam, ſententiam S. Thomas quater repetit, ratamque habet, videlicet: In *1. Sent. d. 44. q. unic. a. 3.* & in *1. Sent. d. 17. q. 2. a. 4.* & *1. Sentent. d. 44. a. 2. ad Annibald.* Et *Opuſ. 61. de decem grad. Charitatis.* Et occaſione hujus ſententiæ has propoſitiones conſtanter, & repetitè inculcat, videlicet: *Puritas Beatiſſimæ Virginis eſt tanta, & tam eximia, ut in nulla perſona creata major reperiri poſſit. DEUS non poteſt puriorem creaturam producere, quàm ſit B. Virgo, quia fuit immunis ab omni peccato originali, & actuali. Puritas Beatiſſimæ Virginis fuit infra puritatem Divinam: non ex eo, quòd aliquando fuerit peccato alicui obnoxia; ſed quia peccare potuit, Deus autem non potuit. Deum effeciſſe Angelos ſpeculum puritatis immaculatum, incoinquinatum: ſed ad majorem Omnipotentiæ ſuæ manifeſtationem aliud elaboraſſe terſius & purius Seraphinis, videlicet Be-*

atiſſi-

atissimam Virginem, ac tantæ puritatis, ut purius intelligi non possit, nisi DEUS sit. At hæ propositiones toties, & tam enixè à S. Thoma repetitæ omnino falsæ sunt, si B. Virgo aliquando peccatum originale contraxit. Si enim contraxit, ergo creari poterat, imò defacto creatæ sunt aliæ & innumeræ creaturæ multò puriores (hoc est, juxta Regulam S. Thomæ, magis malo impermixtæ, & à peccato remotiores) omnes videlicet Angeli, qui nullum peccatum contraxêre. Ergo cogitari potest aliqua creatura sub Deo purior Beatissima Virgine, quæ videlicet nunquam peccâsset. Ergo puritas Beatissimæ Virginis non eo solùm differt à puritate Divina, quòd B. Virgo potuerit peccare, sed etiam ex eo, quòd aliquando actu peccârit.

Dices: Ut Beatissima Virgo dicatur purissima, sufficit, ut aliquando omni peccato originali, & actuali caruerit; tunc enim dici potuit purissima, hoc est, sinè omni prorsus macula, licèt ali-

quando fœdata fuerit, & maculam habuerit. Quemadmodum dici poteſt puriſſimum aurum, quod ab omni alio metallo igne purgatum eſt, licèt antequam purgaretur, multis fæcibus inquinaretur; & puriſſimum linum, quod aliquando ſordidum, poſtea lotum eſt, & candidiſſimum evaſit.

Reſpondeo. S. Thomas de ea puritate loquitur, quæ eſt prærogativa ſolius Virginis, nec ulli creaturæ convenit, ut patet ex adductis & laudatis locis S. Doctoris: ergo intelligi non poteſt de mera carentia omnis peccati, pro aliquo tantùm tempore; hæc enim competit non ſolùm Angelis, ſed omnibus etiam infantibus, ante uſum rationis, & poſt Baptiſmum decedentibus; imò & S. Joanni Baptiſtæ, & quàm plurimis aliis Sanctis, ac ipſi etiam Magdalenæ peccatrici; hi enim omnes pro aliquo tempore omni maculâ caruêre; an verò ideo dici poſſint tanta puritate nituiſſe, qua major ſub DEO cogitari non poſſit? aut DEUM non poſſe cre-

a-

aturam aliquam producere Magdalenâ puriorem? Puritas ergo, de qua loquitur S. Thomas, non est tantùm pro aliquo, sed pro omni tempore; nam quæ purgari debet, non est purissima. Sicut matrona, quæ aliquando pudorem amisit; non est castissima: nec innocentissimus, qui semel deliquit, tantoque minùs, si crimen sit læsæ Majestatis, & morte dignum, quale est peccatum originale. Hoc si Virgo contraxit, dici de illa poterit, quod olim ferè similibus verbis Seneca de Alexandro *l. 6. Natural. Hoc est Mariæ crimen æternum, quod nulla virtus, nulla copia gratiarum redimet. Nam quoties quis dixerit peperit Deum; opponetur, sed & corrupta est, & tota in peccatis concepta, ac filia iræ* Alium locum S. Thomæ in *3. p. q. 27. a. 2.* mox adjungemus.

VII. *Septimò.* Denique celebres ex Ordine Prædicatorum Theologi fatentur, S. Thomam pro Immaculata Conceptione, non contra illam, scripsisse. Joannes Bromiardus in *Summa Prædicantium, Verbo: Maria.* Art: 2. num. 10.

B. Virgo, inquit, *fuit cæteris specialiùs, & eminentiùs sanctificata; nam S. Thomas* 3. p. q. 27. a. 2. *ponit ejus sanctificationis excellentiam, quantùm ad temporis prioritatem, in hoc, quòd sanctificata fuit in ejus animatione, id est, in conjunctione animæ cum corpore, non antè.*

Vides, quid de S. Thoma Bromiardus scribat, & ejus tempore (floruit circa Annum 1260.) longè aliter verba, & sententiam S. Thomæ, quàm in hodiernis editionibus sonuisse, unde sequitur corrupta esse; idque certiùs ex eo confirmatur, quòd citatum locum S. Thomæ in *3. p. q. 27. a. 2.* eodem modo legerit S. Vincentius Ferrerius in exemplari Summæ S. Thomæ adjecta manu propria ad marginem hac inscriptione: *B. Virgo fuit immunis à peccato originali, & actuali.* De qua S. Vincentii lectione plura videbimus sequentibus Paragraphis.

P. Magister Gaspar Catalan de Monzonis electus Episcopus Ilerdensis, Epistolâ ad Michàélem de Lanuza Equitem

Or-

Ordinis S. Jacobi à Consiliis Regis Catholici, ejusque in Regno Arragoniæ Protonotarium Anno 1651. Valentiæ data, cujus initium: *Me percunctatur*: ità scribit; *Me percunctatur Dominatio tua, an S. Thomas in aliqua parte sui operis docuit, Beatissimam Virginem fuisse præservatam à peccato originali? Respondeo, quòd sic: ac primò in* libro 1.Sentent. *dist.*44. -- *Talis fuit solutio Angelici Doctoris, in qua expressè ac evidenter affirmat, B. Virginem fuisse præservatam à peccato originali. Ità minùs dubitandum est, S. Thomam per illa verba: Fuit immunis à peccato originali, affirmâsse DEI Genitricem nec per unum instans maculæ originalis sordem agnovisse.* Vide totam Epistolam apud Nierenbergium in *Exceptionibus Concilii Trid. fol. 201.*

P. M. Joannes à S. Thoma Theologus Complutensis insignis, & quo nemo elegantiùs ac solidiùs doctrinam S. Thomæ illustravit. *d. 2 super 1. partem in Proœm. a.* 2. docet *S. Thomam nullibi docuisse, Beatissimam Virginem fuisse in culpa originali conceptam, nec etiam negâsse, fu-*

esse ab ea culpa præservatam; sed duntaxat statuisse principia communia, ex quibus inferri posset, parentes, privilegio secluso, transmissuros peccatum originale in prolem, minimè determinando, an defacto illud transmiserint in B. Virginem. Idem quod Joannes à S. Thoma, docet P. Franciscus de Arauxo Episcopus Segoviensis. Iterumque Joannes á S. Thoma citatus: *Nihil mihi videtur ità commendare cælestem D. Thomæ doctrinam, quàm si attentè conspiciamus, quantâ vigilantiâ S. Doctoris calamum Divina Providentia temperavit, nè in particulari aliquid scriberet, quod præsenti Ecclesiæ statui, & sensui, quem habuit circa Vigineum Conceptum, contradicere posset* Et infrà: *Neque verba D. Thomæ, & Augustini ità universalia in aliquo lædunt, aut tangunt singulare Beatissimæ Virginis privilegium.* Et paulò post: *Ex vi legis ordinariæ omnes incurrunt peccatum, solo Christo excepto, ut tamen in nullo lædatur singulare privilegium Virginis.* Et rursus: *Communior D. Thomæ interpretatio est, quòd loquitur D. Thomas in illa univerasali propo-*

positione, ex vi legis ordinariæ relinquendo semper locum privilegio. Ità censet Ferrariensis l. 4. contra Gentes c. 50. Et infrà: *Constat, illustres Thomistas sequentes D. Thomam, non multùm hærere in hac quæstione de facto, nec in illa magìs radicari, quàm sensus Ecclesiæ postulet.*

Anno quoque 1618. die 24. Jun. Patres Dominicani Provinciæ Hispaniæ indicto Mantuæ Carpetanorum, seu Madriti, coram Lermensi Cardinali Conventu Provinciali, supplicant Paulo V. *Dignetur ipsis imperare recitationem Officii & celebrationem Festi purissimæ Conceptionis, in ea forma, qua de ea recitant, eamque celebrant cæteri Ecclesiæ Filii, utque è suggestu prædicent opinionem, quæ tenet Virginem fuisse sine peccato originali conceptam.* Subscribunt huic supplicationi: *Ludovicus de Alliaga Regi Catholico à Confessionibus. M. F. Gonzalez Professor Primarius Academiæ Complutensis. M. F. Laurentius Gutierez Professor Vespertinus Complutensis & Consultor supremi Concilii S. Inquisitionis. M. F. Johannes*

de

de la Fuente Consultor Supremi Officii Generalis Inquisitionis. M. F. Alphonsus Barantes Prior Regii Conventûs S. Petri Martyris Toleti, & Consultor S. Officii Inquisitionis Vallisoletanæ & Toletanæ. Præsentatus F. Petrus Venerus Rector Collegii S. Thomæ Complutensis Vid. Nierenb. in Except. f. 211. Hi omnes juraverant solenni more, se nihil docturos contra mentem & sententiam S. Thomæ; credebant ergo opinionem, quæ favet Immaculatæ Conceptioni non adversari sententiæ, & menti S. Thomæ. Nam si credebant adversari, quî poterant citra perjurium illi defendendæ accingi, imò rogare, ut juberentur? Patet ergo ex his omnibus, etiam Angelicum Doctorem pro Virginis Innocentia pugnâsse, nec minùs ab ista, quàm à Filio gloriosum illud elogium meruisse: *Bene scripsisti de me Thoma.*

§. II.

§. II.

Beatissima Virgo non esset idonea Mater DEI, si aliquando peccâsset: ergo ex sentia S. Thomæ nunquam contraxit peccatum originale.

SUMMARIA.

1. *Deleto peccato multos superesse peccati effectus, ac præsertim moralem quandam indecentiam, ob amissam animæ virginitatem & innocentiam.*
2. *Multò majorem indecentiam ex peccato originali, quàm veniali redundare.*
3. *Ergo ex sensu D. Thomæ, si Beatissima Virgo nunquam venialiter peccavit, quia alioquin non esset digna Mater DEI, multò minùs peccavit originaliter.*
4. *Multùm interesse, si dicamus B. Virginem, vel unico momento fuisse peccato inquinatam.*

I.

SAnctus Thomas 3. p. q. 27. a. 4. ità loquitur: *Beatissima Virgo non esset ido-*

idonea Mater DEI, si aliquando peccasset; quia honor parentis redundat in prolem, juxta illud Proverb. 17. Gloria filiorum patres eorum. Unde & per oppositum, ignominia Matris in Filium redundasset. Pro explicanda hac S. Thomæ sententia *notanda* sunt aliqua.

Primò notandum est: Peccatum per gratiam sanctificantem ità deleri, ut nulla omnino peccati macula supersit; id quod Ecclesia docet contra Hæreses Calvini, & Lutheri; hoc est enim peccatum in anima, quod nox in mundo; ut ergo die appetente nullum superest vestigium noctis, ità nullum in anima vestigium peccati succedente gratia. Manent tamen aliqui effectus peccati, etiam deletô peccatô; sicut aliqui effectus noctis (frigus, rores, venti) etiam nocte sublata. Tales peccati effectus sunt, pœnæ, habitus, animæ debilitas, motus & concupiscentia prava, ac præsertim jactura irreparabilis innocentiæ; ut enim virginitas corporis, sic virginitas animæ semel amissa; semper amissa;

missa; corrupta est, quæcūque peccavit, quāvis postea pœniteat, castèque vivat.

II. *Secundò notandum* est: multò gravius esse, turpiusque originale, quàm veniale peccatum. Nam veniale nec gratiam, nec supernaturalem Imaginem DEI in anima delet, ut docet S. Thomas *1. p. q 89. a 1.* nec reddit hominem DEO exosum, & vitâ, ac æterna hæreditate indignum; & ideo S. Doctor peccatum veniale pulveri comparat, qui vultui aspersus non tollit ejus lineamenta, aut pulchritudinem, multò minùs vulnerat, aut exterminat, ut cognosci non possit; sed tamen obscurat. Secùs peccatum originale, quod animæ pulchritudinem, & imaginem sūpernaturalem, quæ in gratia consistit, penitùs obliterat, redditque DEO exosam, ac indignam æternâ vitâ; & ideo, qui peccato originali tenentur, in sacris literis vocantur *Filii iræ*, *massa damnata*, *vasa contumeliæ*, *&c.* Quid rogo funestius de hoc peccato dici possit, quàm ejus causâ tot

ani-

animarum millia periisse? Multorum sententia est, trigesies mille circiter hominum milliones in hoc mundo reperiri; docetque experientia, mediam ferè eorum partem, qui nascuntur, priùs mori, quàm ad usum rationis perveniant. Multæ ergo hominum myriades, quotquot videlicet Baptismo non tinguntur, deceduntque ante usum rationis, nullius alterius delicti rei, quàm peccati originalis, Cœlô arcentur: quantô ergo malitia peccati originalis, quantoque major omni peccato veniali? nam ex gravitate pœnæ metimur gravitatem culpæ, præsertim apud justissimum Judicem, qui neminem præter meritum damnat, sed omnia justis, suisque ponderibus librat; non ergo magis abominaretur, magisque puniret peccatum originale, etiam in creaturis, cæterà innocentibus, quàm peccatum veniale, nî longè gravius originale, quàm veniale esset. *Neque obstat*, peccatum veniale magis voluntarium esse, quàm ori-

ginale; gravitas enim & malitia peccati non æstimatur ex ſolo voluntario, ſed multò maximè ex damnis, quæ animæ infert, ex odio, quò DEUS illud proſequitur; & ex averſione creaturæ à ſuo Creatore, in quo præcipuè conſiſtit deformitas peccati; unde tantò peccatum deformius, quantò magis à DEO avertit, quamvis non ità perfectè voluntarium; alioquin gravius erit mendacium ex propoſito dictum, quàm adoratio Idoli metu extorta, aut adulterium ex fragilitate admiſſum; cùm conſtet, minùs eſſe voluntaria, quæ metu & concupiſcentiâ, quàm quæ ex propoſito fiunt.

III. Si ergo peccatum veniale quamvis deletum, reddidiſſet Beatiſſimam Virginem indignam, quæ DEI Mater eſſet, multò redderet indigniorem peccatum originale. Si enim ex peccato provenit indignitas, ergo quantò majus peccatum, tantò major indignitas, at jam oſtendimus, multò majus, graviuſque eſſe peccatum originale, quàm ve-

veniale; peccatum enim originale magis animam maculat, magis DEO displicet, magis ingratam reddit, magisque à DEO avertit, & majoribus etiam pœnis dignum est; ex quo etiam sequitur, majorem ex peccato originali indignitatem, & indecentiam provenire. Tantò enim major est indecentia, & indignitas, quàntò major est improportio, & distantia unius ab alio. Sic indecentius est, magnum Regem cum filia bubulci nuptiis conjungi, quàm cum filia senatoris; quia videlicet major inter utriusque conditionem improportio, & distantia; quamvis fortè filia bubulci pulchrior, nec voluntate, sed necessitate vilior; nihil enim ad indecentiam pertinet, voluntaria illa sit, an necessaria.

His notatis ex sententia S. Thomæ ità argumentamur: Ut Beata Virgo sit idonea Mater DEI, ab ea removendum est, quidquid ad *ignominiam*, hoc est, quidquid ad nominis notam, infami amque & dedecus pertinet (id enim

in

in Filium quoque redundaret) ſed nihil magis ad ignominiam, quàm peccatum pertinet: nihil enim coram DEO vero rerum æſtimatore pejus, fœdiuſque de homine dici poteſt, quàm peccatorem eſſe, & gratiâ ac amore indignum, nihil quoque indecentius, cùm peccatum ſit ipſiſſima indecentia.

Rurſus peccatum quamvis deletum & remiſſum, aut reddit Beatiſſimam Virginem indignam, ut ſit Mater DEI, aut non reddit? Si non reddit? ergo falſa eſt conſequentia, & argumentatio D. Thomæ ex peccato inferentis indignitatem, ut ſit Mater DEI: ſi verò peccatum reddit indignam Maternitate DEI? id multò magis facit peccatum originale, quàm veniale. Si enim reddit indignam levius peccatum (quale eſt veniale) multò redderet indigniorem gravius peccatum, quale eſt originale. Quòd ſi ex ſententia D. Thomæ removeri à Matre DEI debet levius peccatum, nè ſit indigna Mater DEI, multò

ma

magis removeri ab ea debet peccatum gravius, hoc est originale. Non potuit esse digna Mater DEI, quæ leviùs peccâsset, quanto minùs, quæ graviter? & si illam dedecuit festuca, quantò magis dedecuit trabs? Debuit esse tota pulchra, debuit esse sinè macula, teste eodem Angelico Doctore, & ideo caruit omni peccato veniali (quod tamen nullam propriè dictam maculam animæ inurit *1. p. q. 89. a. 1.*) quantò magis, ut esset tota pulchra, ut expers esset maculæ, debuit carere peccato originali, quod non tantùm animæ faciem maculat, verùm etiam penitus obliterat, fœdatque, & odio dignam reddit, ac mortis ream? Horres in hac facie pulverem & nævum, quantò magis horreas lepram, & pestem? Non placeret si tacta, aut pallens, quantò minùs si corrupta, & fœtens? *Vitis* inquit Plinius, *quæ tacta est fulmine, Sacris & libationi habetur impura*; multò ergo impurior, multoque Sacris, & DEI partu illa indignior, quàm fulmen profanâsset peccati

cati originalis. Aut ergo est innocens, aut indigna, quæ pariat DEUM.

IV. *Dices.* Quid interest, si dicamus, B. Virginem vel unico momento peccato originali subjectam fuisse, ac postea mundatam?

Resp. Si parùm interest, vel unico momento peccatricem fuisse, multò minùs interest, si dicamus, nunquam fuisse peccatricem. Tu dicis: Uno momento peccatrix fuit. Ego dico: Nunquam fuit. Si parùm interest eam damnare, minùs interest eam absolvere; cur ergo non potiùs absolvis, quàm damnas? & si de momento tantùm res agitur, cur non potiùs velis, illo momento innocentem fuisse, quàm ream?

Deinde in libra DEI & Veritatis, etiam momenta sunt summi momenti, summique ponderis. Lucifer uno tantùm momento, unaque cogitatione deliquit, & tamen quanti momenti fuit hoc unum momentum? In peccato enim non mora, sed fœditas æstimatur; & ità præstat vel tota æterni-

tate

tate exulem esse Cælo, & infelicem, quàm uno momento peccatorem. Ipsa quoque Beatissima Virgo mallit non esse Virgo, non esse DEI Mater, non beata, non creaturarum omnium Regina, quàm vel uno momento DEO exosa, experſque gratiæ, & peccato fœdata, nec esse innocens. In hoc ergo momento vertuntur omnia, quæ Virgini nostræ charissima & pretiosissima sunt. Dic de illa quidquid volueris, tantùm nè appelles peccatricem, & filiam iræ; hoc Virgini plùs omnibus dolet, fuisse corruptam.

§. III.

Ecclesia non celebrat Festum nisi de aliquo Sancto; Ergo Beatissima Virgo ex sensu S. Thomæ fuit sinè peccato Concepta.

SUMMARIA.

1. *Regula est certissima SS. Thomæ, Augustini, Bernardi, aliorumque Patrum, non*

non celebrari Festum nisi de Sancto.

2. *Ecclesiam ad cultum Sanctis exhibendum non moveri probabilibus tantùm indiciis, sed certissimis argumentis.*

3. *Refelluntur cavillationes negantium ab Ecclesia Deiparæ Conceptionem coli.*

4. *Multis argumentis probatur festum Immaculatæ Conceptionis Apostolica Traditione institutum esse.*

5. *Optimè ergo ex consensu Concilii Milevitani, & Sanctorum Thomæ, Augustini, Cypriani, Ildefonsi, Bernardi, Bonaventuræ, Petrique Cellensis Immaculatam Conceptionem ex ejus Festo probari.*

I.

SAnctus Thomas *3. p. q. 27. a. 1.* pro regula certissima & indubitata ponit: *Ecclesiam non celebrare Festum nisi pro aliquo Sancto.* Ex quo infert, Beatissimam Virginem natam esse sinè peccato originali, quia videlicet: *Ecclesia ejus Nativitatem celebrat.* Hanc eandem doctrinam tradit in *2. 2. q. 9. a. 1. ad 3.* ubi: *Dicendum est, quòd diversæ Consvetudines Ecclesiæ in cultu Divino nullo*

lè modo veritati repugnant, & ideo sunt servandæ. Hanc regulam accepit S. Thomas à D. Bernardo Epistolâ ad Lugdunenses; & S. Augustino multis locis, cujus celebre est axioma: *Obitus, non natales Sanctorum celebrantur, quia obitus sunt sancti, non natales.* Et *ratio* hujus axiomatis est, quia in Festis cultus & veneratio exhibetur; non potest autem Ecclesia colore, & venerari peccatum: & ideo licèt Ecclesia celebret festum SS. Davidis, Petri, Pauli, Magdalenæ; non tamen celebrat festum adulterii, negationis, aut persecutionis istorum Sanctorum. Si ergo Conceptio Beatæ Virginis peccato contaminata fuit, non cultu & veneratione, sed potius abominatione, æternaque oblivione digna est, juxta illud S. Jobi 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo: nox illa non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus: sit nox illa solitaria, nec laude digna.*

Ex hac S. Thomæ doctrina ità licet

ar-

argumentari: Ecclesia non celebrat Festum nisi de Sancto; at celebrat Festum de Conceptione Beatissimæ Virginis; ergo Conceptio B. Virginis ex sententia S. Thomæ est Sancta, & si Sancta, ergo omnis peccati expers.

II. *Dices*: Ecclesiam celebrare Festum Immaculatæ Conceptionis, non quia certum est, sed quia probabile, fuisse Immaculatam.

Respod: Non tam curæ mihi est demonstrare quàm efficaciter ex Festo, ejusque celebratione ac cultu, pro Immaculata Conceptione argumentari liceat; sed potiùs ostendere ex principiis, & doctrina S. Thomæ sequi, Beatissimam Virginem fuisse Immaculatè Conceptam. Vel enim doctrina S. Thomæ vera est, vel falsa? Si falsa? cur obsecro tantum ei tribuas, ut malis B. Virginem deserere, quàm falsam D. Thomæ sententiam. Si vera? ergo ex celebratione Festi optimè infertur *Sanctitas*; & si bene argumentatur D. Thomas, concluditque *Beatam Virginem fuisse sinè*

peccato originali natam, quia Ecclesia ejus Nativitatem celebrat; æquè bene argumentabimur, & concludemus nos, *fuisse sinè peccato originali Conceptam, quia ejus Conceptionem Ecclesia celebrat*. Neque ullo modo admitti debet in rebus ad Religionem, Deique cultum spectantibus, Ecclesiam ex probabilibus tantùm, non ex certis procedere; sic enim omnia, quæ de Sanctis, de moribus, deque Fidei dogmatibus Ecclesia decrevit, poterunt in dubium vocari, & pro probabilibus tantùm, non pro certis haberi. Quid ergo in Ecclesia certi? *Nos adoramus, quod scimus*. Quantæque hoc levitatis esset, DEO Festum agere, Sacrificia offerre, publico & solenni ritu gratias agere, idque pro re dubia, quæque falsa esse possit? An hoc gravitatem Ecclesiæ decet? & hoc est DEUM colere, an potiùs illudere, cui falsitas semper displicuit? Nec DEUS mendacio colitur, nec falsis honoribus delectatur Regina veritatis. Posletque Ecclesiæ objici, quod olim Jobus amicis suis

c. 13.

c. 13. *Numquid DEUS indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos? aut placebit ei, quem celari nihil potest, aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis?* Aut quod aliud exemplum ostendent Ecclesiæ, Sanctum aliquem colentis, de cujus sanctitate non certò constet? Imò Ecclesia nihil ferè tanto studio, tantâ curâ, tantisque rationibus, & longo examine probat, quàm sanctitatem; nec priùs publico cultui exponit, quàm certissimis argumentis quæsita, & comperta veritate.

Mirum est, in quot partes se aliqui vertant, ut huic *argumento nervos incîdant, eoque se liberent.*

III. *Alii* dicunt, non naturalem Conceptionem ab Ecclesia celebrari, qua anima corpori unitur; hanc enim fuisse peccato fœdatam: sed spiritualem; illud videlicet tempus, quo Virgo in utero Matris sanctificata est. *Alii*: non observare Ecclesiam primum illud momentum, quo anima est corpori infusa, sed ad futurum, & posterius ab a-

nimatione momentum, quo gratiam receptura erat. Sicut Regis Primogenitum, præ aliis Regiis liberis veneramur, non quia Regem, sed quia Regno destinatum. *Alii*: non celebrari hoc Festum intuitu Conceptionis, sed ut DEO gratiæ reddantur ob creatam Virginis animam, ea ferè ratione, qua Festa Inventionis S. Crucis, & Vinculorum S. Petri, Sacrique Rosarii peraguntur, quibus tamen nulla gratia sanctificans inest. Cæterùm hæ interpretationes nimis sunt à vero alienæ, & juxta S. Irenæum *l. 5. c. 13. Coguntur tam multa malè interpretari, qui unum nolunt bene intelligere.*

Primò enim, si aliquid valent, sequitur pessimè argumentatum esse D. Thomam, quando probavit, ideo B. Virginem natam esse sinè peccato originali, *quia Ecclesia Festum Nativitatis celebrat*; responderi enim posset, quidquid isti Festo Conceptionis objiciunt. Neque ego id ago, ut ostendam, quàm efficaciter ex Festo argumentari liceat, sed

quæ

quæ fuerit mens D. Thomæ, & quid ex ejus ſententia, principiisque ſequatur.

Quòd ſi dicant: erráſſe D. Thomam; quæram ex eis, quid ergo mali ſit, ſi dicam ego, multò magis erráſſe, cùm ſcripſit (ſi ſcripſit tamen) Virginem Matrem peccato originali fuiſſe inquinatam? Nam ſi admittant, ſemel erráſſe, malo erráſſe tunc, cùm Virginis Innocentiam damnavit, quàm cùm abſolvit. Dein Eccleſia Conceptionem celebrat, eamque cùm in publicis precibus, tum in Sacrificiis titulo *Immaculatæ* exornat. Quid verò eſt Conceptio, quàm primum momentum animationis? nam ſi aliud Eccleſia intelligit, cur non aliud exprimit? cur ambiguo, fallacique vocabulo fideles ludificat? cur non potiùs voce *Sanctificationis* utitur? & quod aliud exemplum oſtendi poteſt Eccleſiæ in publicis ritibus (qui maximè fucô carere debent) unum pro alio uſurpantis? Interrogate Eccleſiam, omneſque fideles, an cùm Feſtum hoc celebrant, aliud ipſis præ-

ter Conceptionem, eamque labis expertem in mentem veniat? Cur ergo cogitis eos cogitare, quæ nunquam cogitant? dicere, quæ non dicunt? intelligere, & velle, quæ nolunt? Planè Summorum Pontificum, qui pro Immaculata Conceptione pronuntiârunt, tam aperta ſententia eſt, ut tergiverſationes omnes excludat.

Nam Sixtus IV. in Conſtitutionibus: *Grave nimis*. Et: *Cum Præexcelſæ, de Reliq. & Venerát. Sanctor.* (quæ in Concilio Tridentino Seſſione 5. confirmatæ ſunt) Innocentius quoque VIII. Alexander VI. in Bulla pro Immaculata Conceptione. Julius II. in Bullis pro ordine Immaculatæ Conceptionis. Leo X. Adrianus VI. Gregorius XV. & Alexander VII. Hi, inquam, omnes de illo Feſto Immaculatæ Conceptionis loquuntur, quod à Regibus expetebatur, quod Adverſarii impugnabant, cui multæ lites objectæ, cui opinio pia favebat, Thomiſticæ (ut dicebant) opinioni oppoſita; hæc

verò

verò omnia Festo Sanctificationis nullo modo conveniunt. Et clarè Sixtus IV. in Extravagante: *Grave nimis. Non nulli diversorum Ordinum Professores affirmare non erubuerunt, Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu Sanctificationem B. Virg. Mariæ celebrare. Nos igitur temerariis ausibus, & perversis à veritate penitus alienis assertionibus obviàm ire volentes.* Et infrà: *Assertiones eorundem, qui affirmare præsumerent eos qui crederent, aut tenerent, eandem DEI Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, mortaliter peccare, utpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, authoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus.* Potuissetne Põtifex clariùs explicare, Ecclesiã non celebrare Sanctificationis Festum, quo anima Beatissimæ Virginis à peccato originali mundata est (ut Adversarii, quos in eo cap. Sixtus anathemate ferit, dicebant) sed Festum Conceptionis, quo, nè originalis peccati maculam incur-

rerert, præservata fuit; quod iidem Adversarii impugnabant?

IV. Quòd si *quæras*, quando, & à quibus Festum Immaculatæ Conceptionis exordium sumpserit?

Resp: Videri Apostolica traditione institutum. Nam Flavius Dexter, qui vixit circa finem quarti sæculi, in libro quem inscripsit *Perpetua Historia* (cujus etiam historiæ meminit S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis) ad annum 368. *n.* 9. *Jacobi prædicatione*, inquit, *celebratur in Hispania Festum Immaculatæ, & illibatæ Conceptionis DEI Genitricis Mariæ.* Et Marcus Maximus Archi-Episcopus Cæsaraugustanus, qui sub Heraclio Imperatore floruit (hic verò obiit Anno 641.) in Hymno de Apparitione B. Virginis facta S. Jacobo Apostolo:

Ostendit se illis hilarem,
Suoque natalitio
Conceptionis aureæ
Templo manent encomia.
Jacobus Hispanos docet

Et

Et prædicat, ceu cæteri,
Ab omni labe liberam.
Hunc celebrandi jugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat usque hodie.

Julianus quoque Toletanus, à Confessionibus Bernardo Archi-Episcopo Toletano, (is floruit circa Annum 1037.) in vita ejusdem Bernardi, ut habetur in Chronico edito Parisiis à Ramiro de Prado, ex supremo Castellæ Senatu Anno 1628. *Erat Bernardus Beatissimæ Virgini devotissimus, qui fecit celebrari devotius Festum Immaculatæ Conceptionis, prædicavit in Hispania B. Jacobus, & incepit ab Apostolis in Concilio decernentibus.* Et in Adversariis. n. 395. *Traditio ab Apostolis in Concilio congregatis B. V. Mariam originali peccato incontactam esse.* In Sacello Ecclesiæ Segoviensis in Hispania, quam fundavit B. Jerotheus Beati Pauli discipulus, hæc habetur inscriptio: *A tempore Jerothei B. Pauli Discipuli, & hujus Civitatis primi Præsulis, illibatam Conceptionem Sanctissimæ Virginis*

toto cordis & mentis affectu hæc Ecclesia tuetur, & celebrat, & tandem voto & juramento firmavit Octavo die Decemb. Anno 1621. Luitprandus in Chronico [floruit circa An. 946.) edito à laudato Laurentio Ramiretz ad Annum 676. *Columna in urbe Cæsar-augustana constructa est jussu Virginis à B. Jacobo, cùm in Hispania prædicavit, Anno 37. & consecrata ejusdem Immaculatæ Conceptioni (quam omnes Apostoli prædicaverunt ubique) hoc tempore multorum Peregrinorum contubernio visitatur.*

Confirmatque hanc Apostolicam Traditionem, quòd Festum Immaculatæ Conceptionis à primis Ecclesiæ cunabulis celebratum inveniatur in Ecclesiis Palæstinæ, Syriæ, Ægypti, Armeniæ, Africæque, ut videre est apud Petrum Ojeda in Informatione Ecclesiastica pro Immac. Concept. à *cap.2.* & *l.1.* suæ Apologiæ; & apud Coccium *l. 3. a. 6.* De Ecclesia Græca res certissima est; meminit enim S. Sabbas *in suo Rituali*, qui floruit circa annum 500,

Offi-

Officii de Immaculata Conceptione, quod edidit P. Wagneregg in Canone Ecclesiastico S. Andreæ Cretensis, habetque hunc titulum: *Officium Divinum Ecclesiæ Græcæ 9. Decemb. celebrari solitum: Conceptionis S. Annæ qua illa Matrem DEI concepit.* Vide Græcorum Liturgias, Menologia, Ritualia apud laudatum Ojedam in informatione pro Immaculata Conceptione à *cap. 4.* Sed hujus Apostolicæ Traditionis est luculentissimum testimonium S. Andreæ Apostoli, cujus verba in Epistola Presbyterorum Achaiæ hæc referuntur: *Sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ità secundus formatus est ex terra Virgine nunquam maledicta.* Surius 30. *Nov.* hunc sermonem exscribens ità habet: *Quomodo de Immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum prævaricationis Mundo mortem intulerat, necessarium fuit, ut de Immaculata Virgine natus Christus perfectus homo, qui est DEI Filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet.*

Scri-

Scripsêre hanc Epiſtolam Presbyteri Achaiæ Anno circiter 50. à morte Chriſti, teſtes paſſionis & verborum S. Andreæ. Agnoſcit hanc Epiſtolam tanquam legitimum antiquitatis monumentum, non ſolùm Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, multiſque argumentis probat; verùm etiam Alexander Natalis inſignis Criticus ad Sæculum 1. & S. Bernardus Serm. 1. de S. Andrea. Et quamvis Gelaſius I. Innocentius I. Philaſtrius, & ipſe S. Auguſtinus rejiciant quædam acta S. Andreæ; non tamen loquuntur de Actis Achaiæ Presbyterorum; ſed de quibuſdam actis à Nexocharide & Leonide Philoſophis, atque à Manichæis, & Leucio conſcriptis, quæ fabulis, narrationibus impudicis, & erroribus Manichæorum ſcatent.

Sunt, qui velint in Eccleſia Latina Feſtum Conceptionis à S. Ildephonſo Archi-Epiſcopo Toletano, qui floruit Sæculo 6. fuiſſe propagatum. Illum Beatiſſima Virgo, quòd ejus pudorem

voce, calamoque egregiè tutatus esset, candida veste donavit, & B. Leocadia sepulchro egressa, totoque populo audiente, his verbis compellavit: *Per te Domina mea vivit.* Hic verò Beatissimus Archi-Episcopus. *l. de Parturit. & Virginit. B. Virg.* ità loquitur: *Constat illam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solùm maledictio Matris suæ soluta est, verùm etiam benedictio omnibus condonatur.*

Baronius in *notis ad Martyrolog. die 9. Decemb.* Vult in Anglia hoc Festum celebrari cæptum anno 1109. ex voto Elpini Abbatis Remesinensis, qui cùm naufragio periclitaretur, Virgine admonente vovit diem Conceptionis sacro & festivo ritu colore; & hanc ferunt fuisse causam S. Anselmo sententiam mutandi, totaque Epistolâ ad Episcopos Angliæ, Innocentiam, Conceptumque Virginis Illibatum defendendi, quem priùs oppugnaverat in *lib. 2. Cur Deus homo. c. 16.* Sed jam antè fuisse in Anglia celebratum, patet

ex

ex Martyrologio Ven. Bedæ, qui ad diem 8. Decemb. hæc habet: *Conceptio S. Mariæ perpetuæ Virginis*. Floruit Beda Anno 700.

Patet ergo ex dictis, antiquissimum esse Festum Conceptionis, totaque Ecclesiâ celebrari solitum; quamvis postea in aliquibus Ecclesiis intermissum, ut meritò credi possit, Apostolica Traditione fuisse institutum, & de illo dici, quod olim S. Chrysostomus Homil. 4. *Epist* ad Thessalonic. *Traditio est, nihil quæras amplius.*

V. Si ergo Festum Beatissimæ Virginis ex Apostolica Traditione proficiscitur, sequitur ad eandem Traditionem pertinere, quòd sit sinè macula, peccatoque originali Concepta. Nam ut ait S. Thomas *3. p. q. 27. a. 1.* Et *2. 2. q. 93. a. 1. ad 3.* *Non celebratur Festum nisi de aliquo Sancto, & ideo Ecclesia non celebraret Festum de Nativitate B. Virginis, si in peccato originali fuisset nata.* Quam regulā tradunt quoque Concilium Milevitanum *c. 12* S. Augustinus *Serm. 95. de diversis.* Homil.

11.

11. in Festo S. Stephani. Sermone 113 de S. Cypriano. S. Ildephonsus *l. de partur. Virg.* S. Bernardus Epistolâ ad Lugdunenses. Petrus Cellensis *l. 6. Epist.* 23 eleganter. S. Bonaventura *in 3. dist. 1. q. 1. a. 1. sub dub. 3.*

§. IV.

Quamvis B. Virgo Immaculatè fuerit Concepta; eguit tamen Redemptione; ergo ex mente S. Thomæ non contraxit peccatum originale.

S U M M A R I A.

1. *S. Thomas, ubi videtur negare Immaculatam Conceptionem, decies illam rationem repetit, quia si originale peccatum non contraxisset, non fuisset à Christo redempta.*
2. *Duplex Redemptio*, Liberativa & Præservativa. *Hæc in Sacris Literis, Sanctis Patribus, Legibus Humanis, ipsoque Angelico Doctore sæpius agnita & asserta.*
3. *Imò Redemptio* Præservativa *multò no-*

bi.

bilior, perfectiorque; tantò ergo Beatissima Virgo perfectiùs redempta, quia præservata.

I.

QUoties, & omnibus locis, in quibus S. Thomas videtur peccatum originale in anima B. Virginis agnoscere, hac ratione utitur: *Quia si peccatum nullum, nec veniale, nec mortale, nec originale B. Virgo contraxit, sequeretur non fuisse à Christo redemptam. Sicuti enim medicina supponit morbum, ità redemptio supponit captivitatem: quòd si nunquam captiva, ergo nunquam redempta.* Si ergo ostendero, hanc rationẽ nõ tantùm esse falsam, verùm etiam pro falsa à S. Thoma esse judicatam; sequetur necessariò, aut S. Thomam ex principiis argumentatũ esse, quæ ipse pro falsis habuit (quod tanto Doctore indignum omnino est; quis enim, nisi perfidus, in re tam sacra, tantique momenti, pro veris principiis statuat, venditetque, ac aliis persuadere conetur, quæ falsa esse novit, & quæ falsa esse alibi professus est?)

aut

aut non fuisse ejus mentem, ex falso illo principio peccatum originale Deiparæ attribuere; & ideo nunquam attribuisse, quia nunquam aliter attribuit, nisi ex falsa illa invalidaque ratione: *Quia aliàs non eguisset redemptione*. Ut patet *ex 1. 2. q. 81. a. 3.* Et *3 p. q 27. art. 2.* & ibid. *solut. ad 2.* Et *q. 78 a. 1 ad 3.* Et *quodlib. 6 q. 4 a 1.* Et *in 3. Sentent. d. 3. a. 1* Et *in 4. Sentent. d. 43 q. 1. a. 4. ad 3.* Et *in Compend. Theolog. c. 231.* Et *in qq de malo q. 4. a. 6.* En tibi decies repetitam rationem, quæ non solùm omnium doctorum & indoctorum, verùm etiam ipsius S. Doctoris consensu invalida est, ut mox videbimus.

II. Sciendum igitur, sicut duplex est medicina, *præservativa*, & *curativa*: ista quæ malum tollit, postquam evenit; illa quæ impedit, ne eveniat: ità duplicem esse redemptionem. Redemptio *præservativa* non supponit peccatum, sed debitum tantùm, aut potentiam peccandi: sicut medicina *præservativa* non supponit actualem morbum,

ſed tantùm periculum morbi. Hujus verò redemptionis *præſervativæ*, & in ſacris literis, & in Patribus, & in legum latoribus, ac ipſo D. Thoma frequentiſſima eſt memoria Nam Eccleſiaſtici 18. *Ante languorem adhibe medicinam.* Si adhiberi poteſt medicina ante morbum, cur non redemptio ante peccatum; & indulgentia ante culpam? Imò quantò melior, & optatior eſt medicina, quæ morbũ impedit, quàm quæ expellit; ità tantò melior eſt redemptio, quæ peccatum prævenit, quàm quæ ſequitur. Sic Pſ. 43. dicitur: *Qui redemiſti David de gladio maligno;* hoc eſt: *Goliathi;* & tamen nunquam huic David ſuccubuerat, imò vicerat; ſed periculum ſuccumbendi erat, niſi cuſtodiretur; cecidiſſet, niſi teneretur; & hæc eſt optima redemptio quæ caſum avertit. Et S. Paulus ad Epheſ. 5. *Redimentes tempus, quia dies mali ſunt.* Non quòd tempus ſemel amiſſum revocari poſſit, ſed quia poteſt caveri, nè amittatur. Et Pſalm. 85. *Eruiſti animam meam*

ex inferno inferiori; non quòd David eò aliquando devenerit, ſed quòd veniſſet, nî DEUS prohiberet. Cùm ergo agnoſcat Scriptura Redemptionem *Præſervativam*, dicamus de Innocente & Illibata Virgine, quod olim Jeremias: *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Judæ*: ergo etiam illi calcatum eſt torcular Crucis, non ut à peccato mundaretur, ſed nè peccatum incurreret; ergo quòd ſinè macula ſit, & concepta & nata, debet Torculari & Cruci; quemadmodum nives nec lavantur, nec tinguntur, ut ſint candidæ, ſed tales naſcuntur, hoc ipſum tamen Cœlis debent.

Ad ſenſum Scripturæ loquuntur Patres. S. Auguſtinus ſuper Geneſ. ad lit: *Major gratia impenditur illi, cui conſervatur innocentia, quàm cui remittitur culpa*. Et S. Bernardus *Serm.* 21. ſuper Cantica: *Angelos fuiſſe redemptos ſangvine Chriſti, non à peccato, quod commiſerunt, ſed ab eo, quod poſſent committere*. Iterum S. Auguſtinus in Pſalm. 85. *Liberavit te ab ægritudine, non in qua eras, ſed in*

qua

qua futurus eras. Et *l. 1. Confess. c. 1. Gratiæ tuæ deputo, quæcunq; non feci mala, & omnia mihi dimissa fateor, quæ te duce non feci. Ideo ampliùs te diligat, qui se videt peccatorum laqueis non implicari.* Et in *Lege finali. Cod. ex quibus causis restit.* dicitur: *Melius est intacta jura servari, quàm, post causam vulneratam remedium quærere.* Ubi Glossa: *Melius est,* inquit: *morbo occurrere, quàm præsentem repellere.* Et L. *1. C. quando liceat unicuique: Melius est in tempore occurrere, quàm post tempus vindicare.*

Ipse S. Thomas, etiam cùm agit de peccato originali, agnoscit Redmptionem Præservativam; nam *in 4. sent d. 43. q. 1. a. 4. ad 3. Oportet,* inquit, *ponere, quòd quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solùm ratione naturæ; liberari autem à malo, vel à debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in morbum incidit. Unde dimissio debitorum, vel liberatio à malo intelligi non potest, si aliquis sinè debito, vel immunis à malo nascatur.* Vides hic S. Thomam admittere Redemptionem, quæ non à malo liberet, sed tantùm

tùm

tum à debito malū incurrendi, quæ eſt ipſa Redemptio *Præſervativa*. Ut ergo B. Virgo dicatur redempta, ſufficit ex mente S. Thomæ in illa debitum fuiſſe, peccatum originale contrahendi. Et 3. p. q. 32. a. 4. ad 1. *Ideo dicit Damaſcenus, quòd Spiritus S. ſupervenit Virgini purgans ipſam, id eſt præſervans, nè cum peccato originali conciperet*. En iterum Redemptionem *Præſervativam*! Multi tamen hunc locum S. Thomæ vitiatum eſſe contendunt: nemo enim dici poteſt præſervari à caſu impoſſibili; at impoſſibile erat, ut B. Virgo Chriſtum cum peccato originali conciperet; cùm Chriſtus ab Adamo originem non duceret per ſeminalem viri, & fœminæ propagationem, & peccatum repugnaret ejus Divinitati. Quis, rogo, dicat Angelum à febri, aut dolore capitis præſervari, qui repugnat Angelicæ naturæ? At multò magis peccatum Filio DEI, quàm febris Angelo repugnat. Alioquin ſi Chriſtus præſervatus eſt, nè contraheret peccatum origina

gina

ginale, sequeretur fuisse redemptum [præservatio enim est species perfectissimæ redemptionis) quod sinè hæresi dici non potest, idque toties S. Thomas in allegatis locis negat; & q 52. a. 2. ad 2. *Christus ad Limbum descendens, dolores pœnarum absolvit, Sanctos Patres præservando ab eis; sicut Medicus dicitur solvere morbos, à quibus præservat per medicinam.* Et *Opusc. 7. DEUS liberat electos de malis pœnæ tripliciter. præservando, consolando, & dando bona.* Et *1.p.q 20.a.4.ad.5. Major ei gratia fit, qui conservatur in innocentia, quàm cui remittitur peccatum.*

III. Vides ergo testimonio S. Thomæ, Sanctorumque Patrum, non tantùm admittendam esse Redemptionem *Præservativam*, verùm etiam istam multò perfectiorem esse Redemptione *Curativa.* Et *ratio est*, quia tantò major, perfectiorque Redemptio est, quantò à pluribus malis liberat; at multò à pluribus liberatur, qui non permittitur peccare; hic enim liberatur ab actuali culpa, à pudore, à pœ-

nis,

nis, & ab irreparabili jactura innocentiæ, à quibus non liberatur, qui peccare permittitur, & postea absolvitur: admisso enim semel peccato, fieri non potest, ut quis non peccaverit, ut peccati non pudeat, utque innocentiam non amiserit; sicut matrona, quæ adulterium admisit, fieri potest, ut deinceps sit casta, sed non ut sit virgo. Et medicus, qui præservat à febri, à quàm plurimis malis hominem liberat, videlicet à doloribus, vigiliis, siti, aliisque, quæ febrim consequuntur, quæ nullis medicinis tolli possunt, morbo semel permisso: quibus enim remediis fieri potest, ut non doleas, postquam doluisti? Non ergo potuit S. Thomas ità argumentari: B. *Virgo si est à peccato originali præservata, ergo non est redempta?* Imò potiùs ex principiis à se positis, ac sæpe repetitis, argumentari ità debuit: *B. Virgo si est præservata, ergo fuit redempta:* cùm Præservatio sit species Redemptionis; ubi autem est species, illic est & genus; sicut u-

bi est equus, illic est & animal. Imò hæc argumentatio D. Thomæ esset sibi repugnans: cùm enim, ut suprà vidimus, Præservatio sit species perfectissimæ Redemptionis, argumentatio D. Thomæ esset ista: *B. Virgo si est præservata, est perfectissimè redempta: ergo non est redempta.* Perinde ac si dicas: *Ignis est perfectissimè calidus, ergo ignis non est calidus.* Cùm ergo hæc argumentatio non solùm communi Patrum, omniumque hominum sensui, sed etiam ipsius S. Doctoris principiis repugnet, sequitur nullo modo esse D. Thomæ, sed illi suppositam. Imò ex titulo Redemptoris potiùs, & efficaciter arguitur pro Immaculata Conceptione. Ut enim Christus sit perfectissimus Redemptor, oportet, ut omnes redemptionis modos expleverit; atqui perfectissima redemptio est illa, quæ præservat ab omni malo; oportuit ergo esse aliquam creaturam quæ ità præservata fuerit. Quænam autem illa, si non fuit B. Virgo? aut quomodo præ-

ſervata ab omni malo, ſi non à peccato originali.

Dices: Nulla in Scripturis fit mentio Redemptionis, quæ ſit merè *Præſervativa*: nullibi enim in ſacris paginis legitur, veniſſe Chriſtum, ut à peccato homines præſervaret, ſed tantùm ut peccatis jam commiſſis exſolveret.

Reſp. Quòd Scriptura non dicat expreſſis, clariſque verbis, DEI Matrem præſervatam eſſe; id ſolùm convincit, hoc Virginis privilegium ad Religionis, Fideique dogmata non pertinere; nunc verò non id à nobis quæritur, quid credere Chriſtianos, ſed quid ſentire oporteat; non quid fides, ſed quid ratio poſtulet; nec quid revelatum, ſed quid certum ſit: quàm enim multa præter fidẽ, quæ certiſſimò conſtant, quæque nemo niſi dementiſſimus negare poſſit? *Deinde* ſi nihil aliud, quàm in ſacris libris expreſſa de Virgine credere velis; quid de Immaculato ipſius ortu, quid de illæſa etiam poſt

partum Virginitate, quid de fomite extincto, quid de venialibus nunquam commissis, quid de corpore in Cœlos assumpto dices? hæc quoque Virgini negabis? nihil enim istorum in Scriptura reperies. Quòd si Ecclesiæ auctoritatem, fideliumque consensum, & miracula ostendas (nam ad hæc quoque Scriptura Christianos remittit, sicque *mediatè* saltèm, & *indirectè* ad Scripturas pertinent) quid istorum Immaculato Conceptui, causæque nostræ non militat? Sufficit ergo ex Scripturis constare, *Matrem DEI esse*: nam si Mater; ergo à Filio dilecta, & custodita, quantùm potuit, & decuit; quid verò non possit Omnipotens? aut quid magis decuit, quàm non peccâsse? Sicut enim nullum dedecus peccato majus; ità nihil æquè convenit, quàm hoc dedecore, & peccato Matrem caruisse. Ut ergo de flore, fructuque ferre judicium possis, sufficit de radice ex Scripturis constare. Quam omnino methodum à Patribus quoque ac præser-

tim

tim Augustino, Anselmo, ipsoque Angelico observatam, traditamque esse reperio, ut videlicet privilegia, & excellentiam Virginis ex DEI potentia, ac titulo Matris metirentur, ut prolixiùs §. 8. n. 2. & 5. ostendam.

§. V.

Celeberrimi ex ordine Domicanorum tenent, Beatissimam Virginem esse Immaculatè Conceptam; ergo idem tenuit S. Thomas.

SUMMARIA.

1. *Patrum Dominicanorum pro Immaculata Conceptione testimonia, præsertim S. Dominici, cujus pro hoc mysterio sententia duodecim gravissimorum Doctorum testimoniis probatur.*
2. *Et S. Vincentii Ferrerii, Magnique Alberti.*
3. *Et Joannis de Viterbio; de quo historia ex Theophilo Raynaudo.*
4. *Et Joannis Tauleri, Joannis Bromiar-*

di, Ludovici Bertrandi, Hieronymi Lanuzæ, Caspari Catalani, Ambrosii Catharini, Jacobi de Voragine, ac Vincetii Justiniani.

5. *Et Breviarii, ac Capitulorum Provincialium & Martyrologii ejusdem Ordinis, Sanctique Raymundi de Pennafort, Vincentii Belluacensis, ac Joannis de Fannario.*

6. *Et denique testimonio 12. Magistrorum S. Palatii, quinque Generalium, & centum Doctorum, quorum aliqui recensentur. Ex quibus colligitur, eandem quoque S. Thomæ fuisse sententiam.*

I.

DOctores Sacri Ordinis Prædicatorum, qui post S. Thomam floruerunt, sententias ejusdem Sancti tam veras, sanctasque habent, ut illis defendendis juramento se adstringant. Si ergo Immaculatæ Conceptioni suffragantur, ut postea suffragari ostendam, oportet, ut vel credant hanc D. Thomæ sententiam esse, vel perjuri sint; perjuri verò non sunt; (Quis enim hoc dicat de Viris pieta-

te

ſe, & doctrinâ præcipuis?) ergo credunt eſſe D. Thomæ ſententiam.

Primò. Barcinonæ à temporibus ferè S. Dominici (obiit autem S. Dominicus Anno 1221.) in archiviis illius urbis antiquiſſima ſervatur tabula, in qua de S. Dominico Ordinis Prædicatorum hæc habentur: *Dominicus Sanctus & glorioſus Pater Ordinis Prædicatorum venit Toloſam pro Eccleſiæ defenſione, quam miraculis confirmavit. Albigenſes affirmabant principaliter tres errores:*

Primus, *Quod Chriſtus non erat ille, qui jam dicitur veniſſe, & qui debebat redimere genus humanum.*

Secundus, *Quòd hoſtia conſecrata non continebat verum Corpus Chriſti.*

Tertius, *Quòd ſicut Adam formatus fuerat in campo Damaſceno ex luto mundo, & non maculato; ſic ille, qui redimere debebat genus humanum, naſci debebat ex Virgine non maculata. Sed Virgo, quæ dicitur Mater Chriſti, fuit maculata per culpam originalem; ergo natus ex tali Virgine non eſt ille, qui debebat mundum redimere. Contra*

quos errores S. Dominicus fecit quendam libellum de Corpore Christi, affirmando, quòd Christus redemit genus humanum, & firmissima veritate confitendo, Christum natum de Virgine Immaculata; & Albigenses furiosè insurgendo contra ipsum B. Dominicum dicebant, quòd illa Virgo concepta fuit in peccato originali; & B. Dominicus, prout continetur in suo libello, respondebat, quod non erat verum, quod dicebant, quoniam Virgo Maria est illa, de qua Spiritus S. per Salomonem dicit: Tu pulchra es amica mea, & macula non est in te. Finaliter existentes hæretici in eorum erronea intentione, venerunt ad miraculi experientiam; videlicet, quòd B. Dominicus projiceret libellum suum in quodam furno ardente, & si ibi non comburereretur, crederent; & B. Dominicus projecit illum in furno ardente, & libellus inustus exivit. Meminêre hujus miraculi Petrus Canisius *l. 1. de Deipara. c. 7.* Salmeron *in Epist. ad Roman.* Coccius *l. 3. Thesauri. a. 1.* ac præsertim Petrus de Valle Cernai Cisterciensis in *Historia Albigensium c. 7.* Et ex illo refert Alexan-

lexander Natalis *ad Sæculum 13. f. 28. 5.* qui tamen non meminit articulorum, qui eo libello S. Dominici continebantur. Gottiſchalchus, qui vixit ante Sixtum IV. *in Serm. de Concept. B. Virg. Editionis Hagenavienſis Anno 1520.* expreſſis verbis ſcribit, S. Dominicum in prætacto libello contra Albigenſes defendiſſe Immunitatem B. Viginis ab originali. Meminit ejuſdem libri Suarez *3. p q. 27. d. 3. Sect. 15.* Vaſquez *d. 117.* Lauſanius in vita S. Dominici *l. 1. c. 3.* Surius *Tomo 4.* Senenſis *in Bibliotheca.* Vincentius Belluacenſis, *Speculo Hiſtor. l. 29. c. 96.* qui Vincentius obiit 35. annis poſt S. Dominicum. Verba verò S. Dominici inter alia ſunt hæc: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus; ità decuit in ſecundo Adam fieri.* Ità S. Dominicus *l. de Carne Chriſti c. 17.* De quo vid. Raynaud. *in Pietat. Lugdunenſ. f. 291. n. 27.* Reputa jam tecum, an credi poſſit, S. Thomam à doctrina ſui Sancti Inſtitutoris, & Patris, miraculo

etiam confirmata, alienum esse potuisse.

II. *Secundò*. S. Vincentius Ferrerius (obiit 1419.) domestico suo codici (quo Summa S. Thomæ continebatur] observationes quasdam manu sua adjecit, quæ hodieque in Conventu S. Dominici Civitatis de Alcaniz Diœcesis Cæsaraugustanæ asservantur; ubi observatione ad 3. *p. q. 27. a. 2. ad 3.* hæc habentur: *B. Virgo fuit immunis à peccato originali & actuali.* Extat de his verbis, & annotatione B. Vincentii ex originali descriptis publicum & authenticum instrumentum Anno 1652. coram Vincentio Ram Comitte de Montero à sanctiori, & supremo Arragoniæ Consilio confectum per Hieronymum Sanz Regium Notarium; testibus Josepho Sunir, & Hyacintho Gomez die 21. Nov. in Civitate Alcaniz Regni Arragoniæ, totumque videri potest apud Nierenbergium in Exceptionibus Concili Tridentini *f. 207.* Idem S. Vincentius in Serm. de B. Virginis Conceptione: *Quinta Conceptio e-*

ma

materialis, qua B. Anna in utero sancto ipsam concepit, & de ista fit hodie solennitas. De nullo Sancto fit Festum Conceptionis, nisi Christi, & Virginis. Allegat quidem Bandellus contra Immaculatam Conceptionem Beatum Vincentium, sed planè corruptum, ut videre est apud Nierenbergium, *in Excep. Conc. Trid. f.* 244. ex quo séper magis, magisque confirmantur, quæ postea dicturi sumus de vitiatis quoque, corruptisque locis, & sententiis D. Thomæ. Idem Vincentius Ferrerius *Serm. 2. de Nativitate: Non credatis,* inquit, *quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in Cœlo celebraverunt Festum Conceptionis.*

Tertiò. S. Albertus Magnus in *Lib. de Laudibus Virginis.* Super Missus: *Hæc Virgo sola à communi illa regula excipitur: Omnes in Adam peccaverunt.* Et in Biblia Mariana super Evangel. Lucæ. *Væ culpæ est triplex, scilicet originalis, mortalis, & venialis, porrò sine isto triplici væ fuit*

Beatissima Virgo Maria. *Nec dicas* sensum S. Alberti non esse, ut B. Virgo nunquam contraxerit originale, sed quòd purgata illo fuerit; nā S. Albertus eodem modo de væ originali, ac de væ actuali loquitur, atqui væ actuale nunquam incurrit. Dein non fuisset id speciale privilegium B. Virginis, cùm & B. Joannes Baptista, & Sancti Apostoli, ac tot millia infantum Baptizatorum reperiantur, qui purgati sunt à triplici hoc væ. Verum est, B. Albertum alibi expressis verbis negare, B. Virginem fuisse Immaculatè Conceptam; sed B. Albertus aut mutavit sententiam, aut ejus libri corrupti sunt, ut infrà de S. Thoma videbimus.

III. *Quartò.* De Joanne de Viterbio hæc scribit Raynaudus *Tom. 8. in Tract. de Pietate Lugdun. fol. 293. Joannes de Viterbio opus integrum conscripsit de Immaculata Conceptione, cujus hunc brevicu-lum reperio; nam opus integrum non vidi. Probat Author, quòd Virginis Conceptus fuit immaculatus, eò quòd summa animæ in-*

fa-

famia est, concipi in ira DEI, in tenebris culpæ, & in iniquitatibus. Quod B. Thomæ, ac veri Ordinis Prædicatorum propria opinio est, B. Virginem nè pro instanti quidem subjacuisse iræ DEI. Quòd cùm Christus maluerit homines de suo ortu, quàm de fama Matris dubitare, eligens nasci ex Conjugata, ut notat S. Ambrosius; contra Christi voluntatem facere, qui pertinaciter, & adhibitis falsiloquiis maculatam Conceptionem astruere conantur. Egerat primùm hic Author contentiosissimè adversùs Conceptionem Immaculatam; sed cùm infirmaretur ad mortem, emisit votum in hæc verba: O B. Virgo Maria! si verum est, quòd sinè peccati macula Concepta fuisti, rogo mihi sanitatem donare digneris in signum tuæ puritatis, & ego voveo toto tempore vitæ meæ celebrare Festum Conceptionis, & annuntiare populis innocentiam tuam, & retractare, quidquid in contrarium prædicavi. Dixit, & illico sanatus, datoque campanæ signo, populum ad concionem evocari curavit, stupentibus medicis, qui deploratum viderant; & quamvis sodales mutatam ejus mentem

fer-

ferrent gravissimè, perstitit tamen, nec ullis precibus, aut minis, ac persecutionibus actus est in transversum. Quòd autem opus pro Conceptione Immaculata in Indice librorum ab eo conscriptorum non appareat apud Antonium Senensem, potuit contingere, quia opus illud erat parùm gratum, nam ex ea ipsa causa Antonius Senensis oblitus est primi nominis sui, qui fuit: Antonius à Conceptione. Hactenus ex Raynaudo.

IV. *Quintò.* Joannes Taulerus vir pietate, & doctrinâ insignis *Sermon. 1. de Purificatione B. Virg. Culpa originalis,* ait, *perpetuò expers fuit, à qua illam præservavit Filius ejus, ità ut nè momento quidem temporis filia iræ fuerit.*

Sextò. Joannes Bromiardus; qui floruit circa Annum 1260. in *Summa Prædicantium, verbo,* Maria *art. 2. n. 10. Beata Virgo,*. inquit, *fuit, cæteris specialiùs & eminentiùs sanctificata: nam S. Thomas 3. p. q. 27. a. 2. ponit ejus sanctificationis excellentiam, quantùm ad temporis prioritatem, in hoc, quòd sanctificata fuit in ejus animatione, id est, in conjunctione animæ cum corpore, non antè.* Septi-

Septimò. Sanctus Ludovicus Bertrandus in *Sermone de Purissima Virgine*, quem Valentiæ habuit, & cui initium est: *In hoc Sermone sunt quatuor partes*: ità loquitur: *In hac infusione animæ, quando anima corporis primò adiit possessionem, nullius peccati originalis sorde conspurcata fuit - - - ideo jure optimo de Beatissimæ Virginis Conceptione Festum celebramus - - - - - - Primum & maximum beneficium fuit, quo in sua Conceptione ab originali labe præservata fuit.* Hic obiit Anno 1381. vel 1387. Vide totum Sermonem ex originali descriptum apud Nierenbergium *in Except. Concil. Trident. f. 203.*

Octavò. Venerabilis Hieronymus Lanuza Episcopus Balbasserensis, & Albaracinus, undecim rationibus Immaculatam Conceptionem probat, quas videre est apud Hieronymum Fuser in ejus vita *l. 3. c. 12.* Ex quo eas exscribit Eusebius Nierenbergius *in Except. Concil. Trid.* & multæ quoque extant *Tom. 5. Homiliarum* Lanuzæ. Obiit

Anno 1625. De hoc narrat præfatus Fuser: *Memini ipsum sæpè narrantem, quamdiu in Conventu Valentino vitam egit, vix hebdomadam ullam effluxisse, quid de hoc mysterio è suggestu verba faceret; imò in aliis Ecclesiis Catholicæ Coronæ conciones habuisse de eo ducentas quinquaginta & ampliùs.*

Nonò. Magister Casparus Catalan electus Episcopus Ilerdensis in Epistola ad Joannem Baptistam de Lanuza Anno 1651. quam totam exhibet Nierenbergius *in Excep. fol. 201. Me percunctatur sua dominatio, an S. Thomas docuerit, B. Virginem fuisse præservatam à peccato originali. Respondeo: Quòd sic, &c.* Pergitque id multis probare.

Decimò. Ambrosius Catharinus Archi-Episcopus Compsanus integrum Opusculum edidit pro Immaculata Conceptione. Obiit Anno 1552.

Undecimò. Jacobus de Voragine Archi-Episcopus Genuensis in historia Lombardica binas historias, & miracula refert, quæ contigêre in confirmationem Immaculatæ Conceptionis. Obiit Anno 1298. *Du-*

Duodecimò. Vincentius Justinianus in Additionibus ad vitam S. Ludovici Bertrandi commendat miraculum B. Dominici pro puritate Conceptionis Virgineæ. Id verò miraculum jam suprà relatum est. §. *præsenti. n. 1.* Et habetur in OfficioBernardini de Bustis, approbato à Sixto IV. in tertia die Octavæ *Lect. 4.* Et in Historia Albigensium Petri Larnensis *c. 7.* quamvis in novis editionibus abrasa sit. Idemque Justinianus expulsionem Maurorum ab Hispania, & oppugnationem Regni Granatensis atribuit devotioni & voto Regis Catholici, qui expugnatâ Granatâ primarium templum erexit, dedicavitque Virgini Immaculatè Conceptæ.

V. *Decimò tertiò.* In Breviario perantiquo, quo utebantur Patres Dominicani, quodque asservatur in Bibliotheca Regia Escurialis, recitatur historia illa, quæ, ut alibi dicetur, occasio fuit S. Anselmo scribendi pro Immaculata Conceptione, ejusque Festum

ce-

celebrandi, ut teſtatur Nierenbergius *in Exceptionibus Concilii Trident. f. 199.*

Decimò quartò. Anno 1618. die 14. Junii, Provincialis & Magiſtri Provinciæ Hiſpaniæ, Madriti in Conventu Provinciali congregati, Paulo V. Pontifici Maximo ſupplicant, dignetur ipſis imperate *Recitationem Officii & celebrationem Feſti Puriſſimæ Conceptionis Matris DEI.* Initium Epiſtolæ eſt: *Juſſu Sacræ Catholicæ Majeſtatis, &c.* Et tota videri poteſt apud Nierenbergium cit. *f. 211.*

Decimò quintò. Armandus de Bello-viſo Magiſter S. Palatii Collatione quarta: *Surgere non eſt niſi cadentis, & quia B. Virgo in peccatum originale veraciter cecidiſſet, niſi præſervaretur, & omni privilegio ſecluſo: ideo dicitur: Surrexi: & adhuc ſum tecum.*

Decimò ſextò. Extat Decretum Capituli Provincialis in Bætica, cui præfuit Albertus de las Cæſas poſtea Magiſter Generalis totius Ordis, in manuali Patrum Prædicatorum, & Hiſpali

typis

typis vulgato, Anno 1524. Cujus Decreti hæc sunt verba: *Quia Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quòd B. Virgo concepta fuit in peccato originali; sed jam de hoc non est curandum quia est materia nullius utilitatis, & valde scandalosa, præsertim cùm tota ferè Ecclesia (cujus usus, & auctoritas, secundùm D. Thomam 2. 2. q. 10. a. 12.* & *3. p. q. 68 a. 10. prævalet dictis alterius cujuscunque Doctoris) jam asserat, quòd fuit præservata.*

Decimò septimò. Antiquissimum Martyrologium PP. Dominicanorum Anno 1254. conscriptum ad diem 8. Decemb. *Conceptio S. Mariæ Virginis Festum duplex.* Idemque habet Martyrologium Anno 1579. jussu Seraphini Cavalis Generalis Ord. Prædicat. Et in libello, cui titulus: *Horæ B. Mariæ Virginis ad usum Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici*, edito Parisiis Anno 1529. in oratione hæc habentur: *DEUS qui pro salute humani generis carnem gloriosæ Virginis assumere dignatus es, & ipsam sine macula concipiendam ante sæcula in Matrem præele-*

gi-

gisti, concede, &c. Et Hymno ad Tertiam: *Conceptio laudabilis ab Angelo nuntiata Mariæ, tam amabilis in conceptu præservata.* Ad Vesperas in Hymno; *Salve, quæ Stella maris es sinè labe Concepta.* Et Raymundus Lullus in Prologo Tractatûs de Conceptione fatetur Anno 1250. Festum Immaculatæ Conceptionis fuisse à PP. Domicanis celebratũ in Galliis. Et nota, PP. Dominicanos ab exordio ferè sui Ordinis usque ad Annum 1387. & ità annis ferè 133. celebrâsse solennitatem Conceptionis, quam postea in Sanctificationem commutârunt, teste Spondano *ad annum 1387. n. 7.* Ambrosio Catharino, aliisque, de quo vide Petrum de Alva *f. 107.*

Decimò octavò. Palaus & Alvarus Pizarus testantur B Raymundum de Pennafort, qui Anno 1230. in vivis agebat, sæpius è cathedra, ac præsertim in Ecclesia Hispalensi pro Immaculata Conceptione dixisse.

Decimò nonò. Vincentius Cassali, qui floruit sub Annum 1217. in nonnullis

lis tractatibus Panegyricis mysterium Immaculatæ Conceptionis multifariàm, acutèque explicat.

Vigesimò. Vincentius Belluacensis in suo *Speculo Historico circa Annum 1244. l. 7. c. 121.* affert & laudat verba S. Ildephonsi, quibus Immaculatam Conceptionem affirmat.

Vigesimò primò. Joannes de Fennario Magister Generalis, referente Ambrosio Catharino in *Disputatione ad Concil. Trident. p. 1. Columna 66.* dicere solebat: *Antiquiores Magistros, quantò magis docti, & quantò magis sancti essent, tantò magis eam sententiam ultrò amplexaturos, non quidem sectantes alios, sed cunctos ipsi antevertentes animo multò promptiore ac propensiore pro gloria Matris DEI.*

Vigesimò secundò. Anno 1653. In Capitulo Beneventano factum est sequens Decretum: *Nostri Religiosi & Communitates assistant Concionibus & Festis hujus mysterii* (*Immaculatæ Conceptionis*] *& aliis actionibus publicis; & in omnibus occasionibus laudetur, glorificetur & sustentetur prædicta doctrina.* Et Anno 1663. Provincialis Hispaniæ ad totam Provinci-

am

am jussu sui Generalis Joannis Baptistæ de Marinis: *Conformando me cum Ordinatione Nostri P Generalis ordino, ut omnes Religiosi hujus nostræ Provinciæ, tam in nostris Conventibus, quàm extra illos dicant elogium, in istis Regnis* [in principio Concionum & aliarum functionum Ecclesiasticarum) *dici solitum. Purissima Conceptio Dominæ nostræ conceptæ sinè peccato originali in primo instanti suæ animationis.*

VI. *Vigesimò tertiò.* Præter jam enumeratos sunt alii quàm plurimi, quorum aliquos tantùm recensebo. Nierenbergius *in Exception. Concil. Trid. f. 194.* duodecim Magistros S. Palatii enumerat, quinque Generales, & centum circiter Doctores, inter quos Hugo Cardinalis in *c. 1. & 10. Lucæ*, vixit sub Annum 1250. Paludanus in tribus *Sermonibus de Conceptione* Anno 1320. Herveus Generalis in *Comment. Epist. 2. ad Corinth.* Anno 1325. Bartholomæus de Pisa *Tractat. de fruct. Virg.* Anno 1335. Hulchot in *Sapient. n. 160.* Anno 1349. Sanctius de la Puente

ente Magister S. Palatii *Serm. de Concept.* Anno 1429. Leonardus de Utino in *Sanctorali Serm. 12.* Anno 1445. Petrus Dore *l. de Idea Virtutum c. 1. & 20.* Anno 1500. Jacobus Austratus *l. 3. Moral. c. ult.* Anno 1522. Claudius de Rosa *Opere aureo f. 185.* Anno 1519. Albertus de las Casas Generalis & cum eo Capitulum Provinciale Andalusiæ Anno 1523. Joannes de S. Geminiano *l. Sermon.* Anno 1529. Hugo de Prato *Sermon. de Aununt.* Anno 1540. aut 1522. Balthasar Sorio *in Mariali.* Anno 1540. Soto *de Nat. & Grat. c. 7.* & ad *Roman. c. 5.* Anno 1550. Catharinus *Tract. de Concept.* Anno 1552. Joannes Fennarius *Tract. de Concept. c. 6.* Anno 1552. Mancius Salmanticensis Professor Anno 1560. Ludovicus Granatensis Anno 1570. Justinianus Antistius *in Additionibus.* Balthasar Arias. Stephanus Mendez. Raymundus Pasqual *in Comment. Epistolæ ad Roman.* Anno 1595. Alphonsus de Cabrera *Tom. 1. f. 79.* Anno 1596. Ma-

nue

nuel Vagas *Serm. de Incarnat. f. 7.* Antonius Navarrus in *tribus Concion.* S. Pius V. Pontifex maximus, qui Festum Conceptionis præcepit. Guilielmus Pepin, *Rosar. aureo Serm. 15.* Petrus Lavinius in *Opere de B. Virgine* Gottico charactere exarato, quod habetur in Camberiensi Collegio S. J. Joannes Herold cognomento Discipulus *Serm 5. de Sanctis.* Joannes Wigerius *c. 18. Instit. Theolog. §. 5.* Petrus Auratus celeberrimus Galliæ Ecclesiastes in *Imagine Virtutis c. 1. 2. 3.* Nicolaus Coiffetau in *Tabula Innocentiæ.* Laurentius Guttierez in *Sermone de Immaculat Concept.* Plures ex eodem Ordine passim apud Doctores videre est, qui Immaculatæ Conceptioni calamo & voce adstipulati sunt. Vincentius denique Justinianus in Additionibus ad vitam S.Ludovici Bertrandi *c. 3. §. 14.* *Jam in Hispania, in Indiis, in Gallia & in tota penè Europa contra piam opinionem aut scribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, quàm malè canere, & in*

malo

malo cantu durare, & occasionem dare, nè illud Terrentii eis occinatur: Frustra niti, & laborando nihil aliud, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est. Magnæ prudentiæ fuerit, eam opinionem omnino deserere, quemadmodum ii, qui collabentem jam jam domum vident, [quod de muribus Plinius scribit) fugâ se subducunt. Jam illi desunt cathedræ, suggesta, confessionalia, libri Jam Regum diademata, jam Episcoporum mitræ, jam Cardinalium galeri, jam Pontificum tiaræ, & ipsamet Concilia, quando Tridentinum omnino protestatum est, non esse suæ intentionis in Decreto de peccato originali Deiparam comprehendere.

His adjungendus celebris nostra ætate Theologus Alexander Natalis Doctor Parisiensis, qui *Tomo 2. ad Sæculum 13 & 14. Dissertat. 16. §. 20.* respondens ad testimonia & auctoritatem Patrum, qui Immaculatæ Conceptioni opponuntur: *Antiqui Patres,* inquit, *quos Augustinus adversus Pelagianos in aciem educit, & Augustinus ipse de peccati originalis debito facilè exponi possunt: cùm enim ex Ada-*

mo B. Virgo propagata fuerit, communi lege peccati originalis contrahendi tenebatur, illudque re ipsa contraxisset, nisi singulari Redemptoris servata fuisset beneficio - -. &c. ad finem: *Sententiam de Immaculata Conceptione non solùm ut probabilem & piam, sed ut propriam Facultatis nostræ Parisiensis doctrinam propugnabimus, si de ea dicendi, scribendive detur occasio.*

Si ergo & Sanctissimus Patriarcha Dominicus, & præcipui ex sacro hoc agmine Doctores pro Virginis nostræ Innocentia militant; quis dubitet eundem sensum, eandemque sententiam Angelici Doctoris esse? neque enim hunc desererent, cujus doctrinæ juramentô se adstringunt, nisi crederent eum ità sensisse.

§. VI.

Sensus Ecclesiæ auctoritati omnium Doctorum præstat; Ergo Beatissima Virgo ex sensu S. Thomæ est Immaculatè Concepta.

SUM-

SUMMARIA.

1. *Mirum non esse, si in Sanctis Patribus non reperiatur hæc quæstio in terminis formalibus decisa; & quas ob causas?*
2. *Multa tamen in Patribus reperiri, ex quibus evidenter colligitur, eos Immaculatæ Conceptioni favisse.*
3. *Hodiernæ Ecclesiæ major in hac quæstione auctoritas, quàm antiquæ, & quas ob causas?*
4. *Patres omnium sæculorum pro Immaculata Conceptione stetisse, longa inductione probatur.*
5. *Totius Ecclesiæ Catholicæ membra, & Ordines in hanc nostram sententiam conspirare; hoc est: Summos Pontifices, Universitates, Sacros Religiosorum Ordines, Theologos omnium nationum, totamque Ecclesiam, testibus ipsis Patribus Dominicanis, & Alexandro VII. Summo Pontifice.*

I.

SAnctus Thomas 2.2. q. 10. a. 12. *Dicendum est,* inquit, *quòd maximam*

auctoritatem habet Ecclesiæ consvetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia & ipsa auctoritas Catholicorum Doctorum, ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritate Ecclesiæ: quàm auctoritate Augustini, aut Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris.

Hujus ergo controversiæ, quæ inter nos & adversarios est, Angelicum Doctorem judicem statuamus, ipse sententiam ferat. Ponamus pro iis omnes stare, quorum nominibus gloriantur; pro nobis verò solam auctoritatem, usumque Ecclesiæ. Cui litem adjudicabit Angelicus Doctor? *Cui Ecclesia favet.* Ergo mens & sententia est D. Thomæ, illam opinionem esse veram, aliisque prævalere, quæ pro se Ecclesiam habet; habet verò nostra; ergo pro nostra stat quoque, deciditque Angelicus Judex. Videamus ergo, quid Ecclesia tùm Græca tum Latina, & utriusque Doctores sentiant.

Primò. Igitur mirari nemo debet, si hæc propositio in terminis formalibus:

bus;

bus: *B. Virgo caruit peccato originali*, apud antiquiores Patres non reperiatur; tunc enim temporis nondum hac quæstione excitata, & Hæreticis Christi Divinitatem, atque alia capita Religionis impugnantibus, nulla necessitas fuerat, imò nulla utilitas, aut novas lites excitandi, cùm tot aliæ ferverent; aut defendendi, quæ nemo impugnaret. Et quis nesciat, ortis de Filii, de Spiritûs S. Divinitate, de Gratia, deque Libero Arbitrio controversiis, multò cautiùs Patres multoque explicatiùs, quàm antè locutos fuisse? Ità contigit in hac nostra causa: aut enim tacebant, cùm nemo cogeret loqui; aut obscuriùs scribebant, nemine facem prælucente, aut saltèm nullo metu insidiantium. Nam mari quoque tranquillo, & aura velum implente, vel dormiunt nautæ, vel feriantur.

II. *Secundò.* Certatim Patres, præsertim Græci Beatissimam Virginem vocant *Immaculatam; Omni, & semper, maculâ carentem; Omnibus modis Sanctam,*

Cherubim & Seraphim longè puriorem: Solam sine omni peccato; Terram nunquam maledictam, &c. &c. Quæ omnia significant, etiam peccato originali caruisse: Tum quia si de solis peccatis venialibus intelligas; quæro, cur de solis, cùm Patres non magis venialia, quàm originale excipiant? aut ergo de utroque peccato, aut de neutro intelligendi: tum quia si de solis venialibus intelligas, falsum est, solam fuisse omnis peccati expertem; quot enim millia infantum Baptismo expiatorum, nullâ culpâ veniali aspersa sunt; quî ergo sola, quæ tot socios habuit hujus privilegii? Num verè dici posset solam Lunam lucere, tot cum illa Cœlo terraque collucentibus facibus? tum quia ex doctrina S. Thomæ peccatum veniale propriè animam non maculat, at maculat peccatum originale: titulus ergo *Immaculatæ* magis peccatum originale excludit, quàm veniale; quia originale magis maculat, quàm veniale. Aut ergo ex nullis Patribus, nul-

laque Ecclesiæ traditione probari potest expers venialium, aut ex iisdem Patribus eademque traditione probabitur expers originalis. Quidquid enim Patres dicunt, omnesque ab eis prolatæ rationes, contra utrumque peccatum pugnant; imò contra originale multò magis, ut dixi.

Tertiò. Jam suprà probatum est, Festum Immaculatæ Conceptionis fuisse ab ipsis propè Ecclesiæ cunabulis, à Græcis, Latinisque celebratum; atqui id certum argumentum est, fuisse Sanctam & Immaculatam, omnisque peccati expertem, ut suprà quoque ostendimus.

Quartò. Tota & unica ratio, ob quam Patres negant Beatissimam Dei Matrem ulli peccato veniali fuisse obnoxiam, nec ante aut post Partum jacturam Virginitatis esse passam, illa est, quia Dei Matrem id *non decebat*: at quantò minùs decebat animam esse corruptam? nam coram Deo rerum vero æstimatore longè turpior est quævis

minima animæ macula, quàm maxima corporis; quantò enim nobilior & pulchrior anima, tantò pejor, fœdiorque ejus corruptio; & ideo minus est Mariam non esse Virginem, quàm non esse Innocentem; sicque si illi electio daretur, sicut maluit non esse Mater Dei, quàm non esse Virgo, ità mallet non esse Virgo quàm esse peccatrix. Si ergo peccatum originale magis Dei Matrem dedecet, quàm peccatum veniale, quamque naufragium pudoris ex honesto conjugio factum; sequitur, rationem à Patribus allegatam pro immunitate à peccato veniali, proque Virginis pudicitia, multò magis pro Immunitate à peccato originali militare.

III. *Quintò.* Certum est, Ecclesiam Catholicam, quæ hodie floret, ejusdem esse, parisque auctoritatis cum Ecclesia antiqua; æquè enim à Spiritu Sancto regitur, æquè est infallibilis, æquè Magistra veritatis, sicut vera fides, & religio eadem nunc est, quæ olim fuit. Recenset Paulus Servita in

Hi-

Historia Concilii Tridentini: Cùm de Immaculata Conceptione inter Franciscanos, Dominicanosque disputaretur, Joannem Udinum ex Ordine Prædicatorum ità fuisse argumentatum: *Aut S. Paulus aliique Patres crediderunt B. Virginem ab originali fuisse exceptam, aut non crediderunt? Si non crediderunt? cur sententiam inducitis, & novam, & Patribus ignotam? Si crediderunt & tamen tacuerunt? cur eorum exemplum non imitamini, & rem totam, ut illi, silentio committitis?* Cui continuò Franciscanus respondit: *Eadem est primitiva, & moderna Ecclesia; par ergo utriusque auctoritas: sed moderna Ecclesia tota in favorem Virginis conspirat; cur vos ergo exemplum Ecclesiæ non imitamini? & quod ista & sentit & dicit, non vos quoque & sentitis & dicitis?*

Imò causam Conceptionis quod attinet, multò major videtur modernæ Ecclesiæ, quàm antiquæ auctoritas; nunc enim hæc quæstio, & toties & tot libris & tot argumentis, atque à tot Doctoribus, tantoque tempore est dis-

discussa, atque probata, ac loci scripturarum tam accuratè, matureque expensi, atque explicati, ut vix aliud mysterium reperias diligetiùs libratum: cùm ex adverso nullum olim de hac causa dubium aut quæstio fuerit, & Patres cùm de Conceptu Virginis scrispêre, id obiter, & incidenter, nullaque curâ fecerint, & nullo examine, ut Patres legenti patet. Et ideo S. Augustinus *l. 1. de Nat. & Grat. c. 36. dicit: Excepta B. Virgine, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccato agitur, volo haberi quæstionem.* Quomodo ergo Augustinus aliique Patres decident, quod nè quidem in quæstionem vocari patiuntur? aut quomodo finiri velint, quod nè quidem permittunt inchoari? At Vero quis ignorat, longè plus ponderis habere, quæ discussa & probata sunt, quàm quæ neglectim, obiterque effusa? imò nec sententia dici potest, nisi partibus, rationibus, testibus, meritisque Causæ auditis. Damnârunt aliqui Virgi-

nem; esto, sed nec confessam, nec convictam, nec compertam delicti, nulloque criminis examine. Nos post examen, post testes, post auditas accusationes, planeque purgatas, delicti absolvimus, & innocentem pronuntiamus. Cujus ergo sententiæ major auctoritas, damantis sinè examine, aut post examen absolventis? Cùm ergo in hac causa par sit hodiernæ Ecclesiæ auctoritas, imò major quàm antiquæ; videamus, quid utraque sentiat de illibato, innoxioque Conceptu Virginis Beatissimæ.

IV. *Primò*. Igitur loco, fuisse Immaculatam Conceptionem in Apostolorum Concilio assertam, & Apostolorum doctrinâ confirmatam. Testis est Luitprandus (qui floruit circa Annum 946.) in Chronico ad Annum 676. ubi: *Immaculatam Conceptionem Apostoli prædicaverunt ubique.* Julius quoque (qui floruit circa Annum 1036.) Bernardo Toletano Episcopo à sacris Confessionibus, in suis Adversariis. *n. 598.*

Traditio fuit ab Apostolis in Concilium congregatis, B. Virginem Mariam originali peccato intactam esse. Idem Julianus in Chronico, ubi agit de Bernardo Archi-Episcopo, *fecit celebrare devotius Festum Immaculatæ Conceptionis, quod prædicavit in Hispania S. Jacobus, & incepit ab Apostolis hoc in Concilio decernentibus.* Flavius Dexter (qui floruit circa finem 4. Sæculi) in sua Perpetua Historia: *Jacobi prædicatione*, inquit, *celebratur in Hispania Festum Imaculatæ & Illibatæ Conceptionis.* Sanctus quoque Andreas Apostolus, referente Abdia in ejus vita, à Presbyteris Achaiæ conscripta *l. 4. Histor. Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta, ità secundus Adam formatus est ex terra Virginea nunquam maledicta.* Plura de hoc testimonio Dextri, & Luitprandi videri possunt apud Morillum in *Fundation. Columnæ & Commentarii in Dextrum;* Thomam Tamayum *in Notis ad Luitprandum;* Antonium Quintanadvenam in *Fundatione Ecclesiæ Toletanæ, c. 7.* Et

de

de Verbis B. Andreæ vide Bellarminum *l. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi expendit, quantæ auctoritatis sit vita B. Andreæ à Presbyteris Achaiæ conscripta. In Sacello Ecclesiæ Segoniensis, quam fundavis B. Jerotheus, B. Pauli discipulus, hæc habetur inscriptio: *A tempore Jerothei B. Pauli discipuli, & hujus Civitatis primi Præsulis, illibatam Conceptionem Sanctæ Virginis hæc Ecclesia tuetur & celebrat, &c.* Vid. Valasquez f. 339. de Immac. Concept. Refert quoque idem Valasquez *f. 309.* in Monte Sancto prope Granatam inter alios plumbeos libros unum reperiri à S. Ctesiphonte Mart. ac S. Jacobi Discipulo exaratũ, in quo hæc verba leguntur: *Illa Virgo, illa Maria præservata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa.*

Deducitur ex hactenus productis testimoniis, jam in primis Apostolorum Conciliis, & Apostolicâ doctrinâ mysterium Immaculatæ Conceptionis confirmatum esse, ut meritò scripserit

Fran-

FranciſcusSuarezTheologus planè graviſſimus & modeſtiſſimus in *3 p. q 27. a. 2. Sect. 6. Hæc veritas à Sanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus, & ut creditur, etiam ab Apoſtolis tradita eſt.* Vide ſuprà §. 3.

Poſt tempora Apoſtolorum multa ſunt & paſſim edita argumenta & exempla, quibus oſtenditur viguiſſe in Eccleſia perpetuam traditionem de Conceptione Immaculata: nam Weſtmonaſterienſis in *ſuo Chronico Anno 1228.* & Galatinus *l. 7. c.* 4. teſtantur: *Celebrationem Conceptionis in Eccleſiis Armeniæ, Ægypti, Syriæq; Apoſtolos inſtituiſſe.*

Sæculo III. S. Cyprianus *libro de Card. Chriſti operibus c. de Nativit.* loquens de B. Virgine: *Sriritu S. obumbrante incendium originale extinctum eſt, nec ſuſtinebat Juſtitia, ut vas illud Electionis communibus laſſaretur injuriis; quoniam plurimùm à cæteris differens naturâ communicabat, non culpâ.* Eodem *Sæculo 3.* S. Amphilochius Iconii Epiſcopus Orat. 4. *in Deiparam,* quam latinitate donavit Franciſcus Combeſis Dominicanus *f. 42. Quid*

ſtulte

ſtulte à veritate diſſentis? qui enim antiquam illam Virginem ſinè probro condidit, & Secundam ſinè nota, & crimine fabricatus eſt.

Sæculo IV. Hoc eſt circa Annum 370. floruit B. Hieronymus, in cujus Martyrologio mentio eſt Feſti Conceptionis. Et quamvis Baronius in Præfatione ad ſuum Martyrologium neget eſſe Hieronymi, conſtat tamen ſaltèm in Latinum vertiſſe ex Græco, quod Euſebius Cæſarienſis conſcripſerat, & ideo hoc Martyrologium Hieronymo adſcribunt Beda *in Retract. in Acta Apoſt. c. 1.* Walafridus Strabo *l. de rebus Eccleſiaſticis c. 28.* Uſuardus *in Præfat. ad ſuum Martyrolog.* Bollandus Præfatione in Vitas Sanctorum. *c. 4. §. 4.* Idemque Sanctus Hieronymus in Pſalm. 77. *Nubes illa* (Beatiſſima Virgo) *nunquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* S. Auguſtinus quoque, qui eodem ſæculo floruit (obiit enim Anno 430.) *l. de Natura & Gratia c. 36. Excepta B. Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere*

volo quæstionem; indè enim scimus, quòd plus gratiæ collatum ei fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Idemque Augustinus *lib. 5. contra Julianum cap. 9. & cap. 15.* hanc regulam velut certissimam ponit, videlicet: *Is, qui in adulta ætate nullum peccatum fecit, in infantili ætate peccatum non contraxit; & ideo Christus peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset.* Cùm ergo jam omnium sententiâ constet, Beatissimam Virginem *in adulta ætate peccatum nullum fecisse;* sequitur ex mente Augustini, nec in ætate infantili peccatum originale contraxisse. Et iterum *Serm. de Assumpt.* fatetur, se nullis quidem Scripturis convinci, ut credat, corpus Virginis in pulverem resolutum esse; sed se tamen rationibus stringi, nè id credere possit: *Animus,* inquit, *hæret, sentire non valeo, dicere pertimesco: quia excipitur à lege corruptionis, quam tanta servat gratia, & attollit dignitatis prærogativa; pertinetque ad digni-*

tatem

tatem Domini, suæ Matris servare honorem, qui legem non solvere venerat, sed adimplere: & quia nullus dubitat, quin possit Mariam sinè corruptione servare, cur ergo dubitandum est noluisse? Hæc Augustini argumenta pro incorruptione carnis nemo non videt, longè magis militare pro integritate, & incorruptione animæ; quis enim ignoret si optio Virgini daretur, millies eam potiùs cineres & pulveres corporis electuram, quàm semel peccatum. S. Eucherius ejusdem sæculi Auctor *Homil. 2. de Nativ. Domini*: *A peccati enim veteris nexu* per se *non est immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris: Solus ille licèt ex debitore nascatur, lege tamen veteris debiti non tenetur.* Vides asserere S. Eucherium B. Virginem *per se* non esse immunem à peccato originali; & *debitricem* tantùm, non *peccatricem* appellari, quæ omnino nostra sententia est.

S. Cyrillus Archi-Episcopus Alexandrinus *lib. 6. c. 15. in Joann. Evang. Cæcus iste Genus humanum designat, quod in*

pri-

primo parente excæcatum est quia ex illo traximus omnes non solùm originem mortis, sed etiam iniquitatis. Per unum enim hominem mors, & per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, quæ in omnes homines pertransiit Et bene non solùm cæcus, sed etiam cæcus à nativitate dicitur; quia omnes homines (excepto illo, qui de Virgine natus est, & Sacratissima etiam Virgine, ex qua DEUS homo prodiit in mundum, exemptâ) cum peccato originali nascimur, & gravissima cæcitate depressi in mundum venimus, quam quidem cæcitatem de radice primi parentis contraximus. Et in Sermon. contra Nestorium: *Temerarium est ponere in Maria Virgine propter Filium culpam aut peccatum aliquod.* Et in Concilio Ephesino Homil. 6. *Quis unquam audivit architectum, qui sibi domum ædificavit, ejus occupationem & possessionem primùm suo inimico cessisse?*

Sæculo V. Floruit S. Sabbas Sacrorum Menæorum Collector, & Ritualis Auctor. Hic in suo Rituali Jerosolymitano meminit Officii de Immaculata Conceptione (de quo videri potest P.

Wa-

Wagneregg *in Canone Ecclesiastico B. Andreæ Cretensis*) Est verò Officii titulus: *Officium Divinum Ecclesiæ Græcæ 9. Decemb. celebrari solitũ Conceptionis S. Annæ, quâ illa Matrem DEI concepit.* Ipse verò S. Sabbas *die 12. Febr. Ode 5.* ità canit. *Tu quidem Virgo ab æterno propter splendorem integritatis, & pulchritudinem virginalem, ac denique propter gratiæ dona, quæ te ab omni nævo immunem fecerunt, sola fuisti digna tanti partûs honore.* Et *die 18. Ode 6.* de S. Cyrillo: *O Virgo Deipara! de te sola puplicè constat, quòd ab æterno munda extiteris.* Et *die 3. Jan. Ode 9. In te primi parentis substitit lapsus.* Vixit eodem sæculo S. Andreas Cretensis, videlicet circa Annum 560. qui in Canone Ecclesiastico Ode 50. *Anna concepit puram Sobolem.* Et post *Oden 3. Anna sterilis intemeratam, castamque puellam concepit. Hinc hodie ceu solam Immaculatissimam omnes nos Beatam dicamus: ejus nos Sanctam Conceptionem colamus.* Vide textum græcum in versione Francisci Combesis Ordinis Prædicatorum: nam

aliæ

aliæ editiones & versiones non satis respondent græco originali, ut notat Nierenbergius in Parthenicis Epistola ad Cardinalem de Sandeval Archi-Episcopum Toletanum *f. 340.*

Sæculo VI. S. Ildephonsus Archi-Episcopus Toletanus, *Libro de Parturitione Virginis: Constat illam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Evæ soluta est, verùm etiam & benedictio omnibus condonatur.* De Sancto Ildephonso hæc habet Trithemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Cùm Beatissimus Præsul Ildephonsus librum de Virginitate purissimæ Virginis complêsset, apparuit ei Domina mundi, ipsum librum habens in manibus & gratias agens illi pro tali servitio, quod sibi gratissimum esse affirmabat. Ille verò cupiens eam altiùs honorare, constituit, ut celebraretur solennitas ejus singulis annis octava die ante Nativitatem Domini: quæ solennitas jam obtinuit, ut per universam fidelium Ecclesiam celebretur sexto idus Decemb. in honorem purissimæ ejus Conceptionis. Unde*

rursum

rursum ei B. Dei Genitrix apparens, vestimentum sacerdotale, quod nos albam vocamus, ad cathedram illi attulit, de quibus multa miranda & gloriosa narrantur. Idem Sanctus Ildephonsus in Sermone manuscripto, cui initium: *Creator omnium*, & habetur in Bibliotheca Toletana *loculo trigesimo primo n. 17. Sic ergo genus humanum quasi unam arborem adhuc in radice tenebam, antequam in propaginis prole prodiret, vitiavit. Inde ergo est, quòd radix vitiata quotidie fronderet, frondesque ejus indesinenter propter mortem marcerent; at sæpè contingit, quòd ex pungenti spina pulchra & rubens oriatur rosa. Sic enim, operante Divina providentia, ex radice vitiata sinè vitio prodiit Virga, quæ intelligitur Beatissima Virgo.*

Sed *nota*, Sancti Ildephonsi doctrinā & sentētiam quod attinet, ejus tempore fuisse eadem die Festum Conceptionis, & Nativitatis celebratum, ut colligitur ex ejus libro de Parturitione B. Virginis, ubi etiam Conceptionem vocat inchoatam Nativitatem,

Et

Et Georgius Metropolita Sermoni tertio hanc inſcriptionem præfigit: *Oratio in Conceptionem, ac Nativitatem S. Dominæ noſtræ DEI Genitricis.*

At Sanctus Ildephonſus utrumque Feſtum ſeparavit, ea ferè ratione, qua Feſtum Epiphaniæ, Baptiſmatis Chriſti, & Nuptiarum in Cana; & Feſtum S. Michaëlis, Angelorumque Cuſtodum olim conjuncta, ſunt poſtea ſeparatim celebrata.

Eodem *Sexto Sæculo*, ſed ante S. Ildephonſum floruit S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui ipſe quoque Immaculatæ Conceptioni egregiè adſtipulatur. Teſtantur enim Ambroſius Morales *l.* 12. *c.* 19. Mariana *l.* 6. *c.* 5. Loaiſa in *Notis ad Concil. Toletan. IV. c.* 2. Patres Concilii Iſidoro mandâſſe, ut Miſſale Hiſpanicum Mozarabem (quaſi dicas Mixtaraben; eo enim utebantur Chriſtiani capti ab Arabibus, illiſque mixti) emendaret. In hoc autem Miſſali octavâ Decemb. extat Feſtum Conceptionis: & in Præfatione Miſſæ hæc habentur:

tur:

tur: *Dignum & justum est Omnipotens Pater, tibi in Conceptione Virginis Mariæ &c.* Et in Benedictione ad populum: *Quique Matrem servavit à corruptelæ contagio, signum nostri cordis emaculat à delicto.*

Sæculo VII. Vixit S. Joannes Damascenus, qui Beatissimam Virginem non solùm Immaculatam facit in *Conceptione germinis* (sic vocat S. Bonaventura tempus animationis) verùm etiam, quod multò plus est, fuitque postea aliquorum sententia, à S. Thoma improbata, in *Conceptione seminis.* Sic enim loquitur Damascenus *Orat. 1. de Nativit. Virginis*: *O Beati Joachim lumbi, ex quibus immaculatum semen profluxit. Et Orat: 2. de Assumpt. Virgin. Hodierna die Heden Spiritualem novi Adam Paradisum suscipit, in quo condemnatio abrogata, ad quem serpens aditum non habuit.* Eodem Sæculo Vener. Beda in suo Martyrol. 8. *Decemb.* ponit *Festum Conceptionis* Beatissimæ Virginis; ut suprà quoque notavimus. S. Germanus Archi-Episcopus Constantinopolitanus in suis menæis dicit,

cit, *Deiparam fuisse Conceptam filiam DEI.* Et loquens de Conceptione S. Annæ, cùm Deiparam concepit: *Quid hac quæso generatione prolis magis inviolatum & venerandum?*

Sæculo IX. Floruit, teste Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis Idiota, (alii tamen Idiotam multis sæculis posteriorem faciunt) *qui in contemplatione B. Virginis capite 1.* hæc habet: *Trahe me post te O Beatissima Virgo! Benedicta ante ortum, Benedicta in ortu, Benedicta post ortum, ante sæculum, in sæculo & post sæculum.* Et *c. 2. nullo genere vacasti virtutum O Virgo Gloriosissima! non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive originalis, sive actulis, sive mortalis, sive venialis non est in te, neque unquam fuit.* Et *c. 6 Invenisti gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab originali labe præservatio, Angelica salutatio, & Filii conceptio.* Luitprandus in Chronico ad Annum 676. *Immaculatam Conceptionem Apostoli prædicaverunt ubique.*

Eodem Sæculo Joannes X. approba-

vit Ritualia, Missalia & reliquū Officium Mozarabicum seu Gothicum, ut habetur in celebri historia Compostellana, & in Archiviis Ecclesiæ Toletanæ. Id verò Missale Hispanicum reformatum fuisse à S. Isidoro jussu Concilii Toletani IV. tradunt Ambrosius Morales, *l. 12. c. 19.* & Mariana *l. 6. c. 5.* In hoc ergo Missali Hispanico seu Mozarabico à Joanne X. confirmato, in Præfatione habetur: *Dignum & justum est tibi Omnipotens Pater in honorem Conceptionis Virg. Mariæ &c.* Et in Canone post verba: *Pridie quàm pateretur*, hæc sequuntur: *Virgo DEI Genitrix, cujus hodie veram Conceptionem celebramus.* Vide de prima hac Joannis confirmatione, & Missa Conceptionis Nierenbergium Tractatu de perpetuo objecto Conceptionis *c. 3. & 5.*

Sæculo X. Fulbertus Carnotensis Oratione de Ortu Virginis: *Quanta putamus provisio fuerit Sanctorum Angelorum circa tam DEI gratissimos parentes ab initio procreationis, & excubatio supra tam in-*

gen-

gentem sobolem? nunquid abfuisse credendus est Spiritus S. ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? Et in Expositione Salutationis Angelicæ: *Electa es insignis inter filias, quæ Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis; quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.* Vide de hoc testimonio Fulberti Nierbergium *in Except. c. 13.*

S. Petrus Damianus Serm. de Assumptione: *Caro enim Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.*

S. Anselmus Sermone de Conceptione: *Angelos, aliis peccantibus, à peccato servavit, & fœminam Matrem suam futuram, ab aliorum peccatis exortem servare non potuit? in æternitate consilii sui statuit eam Reginam fore Angelorum, & in consortium conceptam esse crederemus peccatorum?* Et in Commentariis in 2. Corinth. c. 5. *Omnes mortui sunt peccato, nemine prorsùs excepto, dempta Matre DEI, sive originalibus, sive propria voluntate additis, vel ignorando vel sciendo.* Et lib. de Conceptu Virginali c. 18.

De

Decuit Virginem tanta puritate nitere, quanta sub DEO major intelligi non potest. Ex quo loco optimè S. Thomas in *1. d. 17. q. 1. a. 4.* & *d. 44. a. 3. ad 5.* conclusit, Beatissimam Virginem fuisse immunem ab omni peccato originali & actuali; & hoc solo à Divina puritate abfuisse, quòd DEUS nec peccavit, nec peccare possit, Beatissima Virgo nunquam peccaverit, potuerit tamen peccare. Idem S. Anselmus Sermone de Conceptione hortatur: *Colere animæ spiritualem creationem, ac corporis & animæ copulationem. O quanta est dies illa! qua nostræ reparationis anima digna creatur, sacratur, & sanctissimo corpori unitur.* Cæterum Festum Conceptionis cum Officio ab Anselmo institutum esse, ex Revelatione Helsini gravissimi Auctores testantur, videl. Concil. Cantuar. Anno 1328. celebratum. Joann. Bachonius Anglus in *4. Sent. d. 2. q. 4.* Paludanus in *3. d. 3. q. 1.* Petrus Episcopus Aquilinus *l. 1. c. 85.* & *l. 6. cap. 56.* Zucharus Episco-

pus Arcensis *2. p. Elucidarii f. 55.* Joannes Gerson *Sermone de Concept.* Dionys. Carthusianus *Serm. 203.* Baronius in *Martyrol. ad 8. Decemb.* Et Denique Hispalensis, Cordubensis, Segoviensis, Chonchensis, Saguntina & Eborēsis Ecclesiæ in suis Breviariis & Lectionibus: teste Nierēbergio in Parthenicis *fol. 10.* Vult Theophilus Raynaudus *Opusculo de pietate Lugdunensi* hanc Civitatē post S. Eucherium à S. Anselmo, cùm illic exul degeret, sententiâ de Immaculato Conceptu fuisse imbutam, idque etiam docet Bivarius *in Anselmo vindicato l. 1. §. 5.*

S. Bruno Ordinis Carthusianorum Institutor in Psalm. 105. *Hæc enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus; ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnovimus.*

S. Ivo Carnotensis *Sermone de Nativit. Domini: Omnem quippe nævum tam originalis culpæ in Matre delevit* (eam videlicet præservando, nam certum est nunquam actualis culpæ ream fuisse)

pri-

prima enim humani generis parens duplici maledicto succubuit, ut & cum viro mortem incurreret, & filios cum dolore parturiret: hujus maledictionis filii Evæ hæredes successerunt, & omnes filios sub necessaria mortis condemnatione genuerunt. Sola hæc Mater, quæ non sibilo serpentis credidit, benedictionem, quæ utramque maledictionem, excluderet, audire meruit. Certum est, S. Ivonem loqui non de morte corporali (nam constat mortuā esse) sed de morte spirituali, & quidem peccati originalis; nam *hujus tantùm succedimus hæredes Hevæ.*

Sæculo. XI. S. Bernardus Abbas Clarævallensis in editione Lugdunensi *Anno 1530* apud Joannem Mareschall in *Sermone de Privilegiis S. Joannis Bapt.* ait: *Quicunque de massa prævaricante mundum ingredimur, longam restem originalis peccati nobiscum trahimus; solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, & quæ eum Virginalis sui uteri thalamo ignorans virum & ignota viro terris effudit.* Hæc ultima verba in recentioribus, nescio cujus manu, mutata sunt. *Cùm igitur omnes*

in iniquitatibus concepti sint, neminem unquam mortalium intrà materna viscera sanctificatum legimus, præter Hieremiam & Joannem Baptistam, quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimioris sanctificationis genere conservata sit. Omitto aliud Bernardi testimonium ex Sermone in Cœna Domini, quia non est Bernardi. Idem Bernardus in celebri Epistola ad Lugdunenses regulam ponit, ex qua evidenter infertur Conceptio Immaculata: *Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta est de sæculo nequam. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens, in utero eum accepisse, ut Sancta prodiret: non fallitur omnino Sancta Ecclesia sanctum reputans ipsius nativitatis diem, & omni anno exultatione universæ terræ & votiva solennitate suscipiens.* Si ergo hodie viveret Bernardus, videretque Festum Immaculatæ Conceptionis to-

tâ Ecclesiâ celebrari, quid aliud diceret, aut quid aliud dicere posset, quàm quod tunc dixit: *Non fallitur omnino S. Ecclesia, sanctam reputans ipsius Conceptionis diem, & omni anno cum exultatione suscipiens.* Nisi fortè crediderit Bernardus, falli Ecclesiam non posse circa Festum Nativitatis, falli autem posse circa Festum Conceptionis. Omnino ergo noster est Bernardus, nec negari potest, Beatissimam Virginem esse Immaculatè Conceptam, nisi negemus principia Bernardi. Celebrat jam Ecclesia Festum Conceptionis, quod olim non celebrabat; videt ergo Benardus in Cœlis, quod non vidit in terris; quæro, cur potiùs amplecti sententiam velis, quam Bernardus tenuit in terris, quàm illam, quam tenet in Cœlis? Quæ verò ex Bernardo Immaculatæ Conceptioni objiciuntur, postea refutabimus, cùm argumenta ex Patribus sumpta refellenter infrà §. *10. n. 5.*

Bernardus Archi-Episcopus Toletanus in *Serm. 4. super Salve Regina: Inno-*

sens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis: nemo ità præter te. Unde auctoritas Augustini: Cùm de peccatis agitur, nullam de Beata Maria volumus fieri mentionem; ex eo enim majorem ei credimus collatam esse virtutem, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit. Ex omni, inquit, parte, hoc est, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.

Nota: Sermones *Super Salve Regina*: falsò attribui S. Bernardo Claræ vallensi, sed verum esse eorum Auctorem S. Bernardum Toletanum, æquè Benedictinum; quique eodem sæculo vixit. Ità enim scribit Julianus in Chronico *n. 607. D. Bernardus Archi-Episcopus Toletanus fecit quoque alios 5. Sermones super Salve Regina, qui D. Bernardo Claravallis Novitio Abbati falsò inscribuntur. Ego enim habeo scriptos de manu ipsius D. Bernardi, qui est in æterna benedictione.*

S. Norbertus Religionem suam instituit in honorem Conceptionis juxta communem & unanimem suæ familiæ

tra-

traditionem: id constat ex Missalibus, Breviariis, Processionariis & Diurnalibus Præmonstratensium, nec non ex diplomate & privilegio Caroli VII. Francorum Regis apud Joannem Paige in Bibliotheca Præmonstratensi, *Tom.* 1. Pater quoque Quintanilla Præmonstratensium Generalis Epistolâ ad Philippum Regem: *Ad nullam Religionem ità pertinet tueri articulum de pura Conceptione, sicut ad istam Præmonstratensem, quoniam à quingentis annis ejus Fundator S. Norbertus eam consecravit Immaculatæ Conceptioni.*

Miræus quoque in Notitia Ecclesiarum Belgii *cap.* 178. duo diplomata refert Balduini Flandriæ & Hannoniæ Comitis, quorum primum ità desinit: *Actum in solennitate Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ Anno 1195.* Posterius verò: *Actum mense Decembri in Conceptione Gloriosæ Virginis Mariæ Anno 1195.*

Sæculo XII. Alexandrum de Ales integrum librum scripsisse de Immaculata Conceptione, testantur Guilielmus

Borilongus in 3. *Sent. d.* 3. Dionysius Carthusianus ibidem. Joannes de Celaya *eadem distinctione*. Causam scribendi dicunt fuisse, quòd, cùm calamum strinxisset impugnandæ Virginis innocentiæ, morbo correptus fuerit; indè mutâsse opinionem, seque Virgini defendendæ voto obstrinxisse, recuperata continuò sanitate. Theophilus Raynaudus in *Opusc. de Pietate Lugdunensi* addit, Alensem quot annis octavâ Decembris [qua die Conceptionem Virginis impugnaverat] morbo tentatum esse, donec voto se adstrinxerit illi tuendæ. Et Goteschaldus Holenus eum inter hæc verba expirâsse tradit: *Tota pulchra es & macula non est in te, nec venialis, nec mortalis, nec originalis peccati.* Joannes de Celaya citatus, & Guilielmus Borilongus illud volumen à se Tolosæ perlectum fuisse testantur.

Albertus Magnus in lib. de Laudib. Mariæ dicit: *Hæc Virgo sola à cōmuni illa regula excipitur: Omnes in Adam peccaverunt.* Et in Bibliis Marianis in Evange-

lium Lucæ: *Væ culpæ est triplex, scilicet originalis, actualis mortalis, & venialis; sinè isto multiplici væ fuit B. Virgo Maria.* Theophilus Raynaudus aliique volunt librum de Laudibus B. Virginis non esse Alberti Magni, sed Richardi à S. Victore, qui floruit Sæculo XI. hoc est, circa Annum 1130. Ad illa, quæ ex Alberto objiciuntur, infrà respondebimus, cùm de Patribus mentio erit.

S. Bonaventura in 3. Sententiarum quod 1. ad 4. *Statuta universalis Ecclesiæ de Sanctorum festivitatibus omnino fundatæ sunt super sanctitatem, ut nullo die pro aliquo Sancto solennizet, in quo, vel pro quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* Cùm ergo jam Festum Immaculatæ Conceptionis Ecclesia celebret, sequitur B. Virginem tempore Conceptionis ex mente S. Bonaventuræ Sanctam fuisse. Et *q. 3. Dicendum est*, inquit, *quòd pro indubitato habet Ecclesia, videlicet, quòd B. Virgo fuerit in utero sanctificata, & illud ex eo patet, quòd Ecclesia ejus Nativitatem celebrat, quod non faceret, nisi San-*

cta esset. Sententia ergo Bonaventuræ est apertissima, videlicet, *Si Ecclesia celebrat Festum Conceptionis, Conceptio est Sancta & Immaculata.* Quæ propositio est vera, quamvis tempore S. Bonaventuræ conditio purificata non sit. Sicut ergo est sententia Christi, *Tyrios conversum iri, si miracula ejus vidissent*, quamvis hæc conditio nunquam impleta sit; ità est sententia S. Bonaventuræ, *Conceptionem Beatissimæ Virginis esse Sanctam & Immaculatam, si Ecclesia Festum Conceptionis celebret*, quamvis hæc conditio tempore S. Bonaventuræ impleta non fuerit, & fortè crediderit implendam non esse. Omitto recensere S. Thomam, de quo tota hæc dissertatio.

Sæculo XIII. Joannes Scotus omnium ferè consensu præcipuus fuit, qui Immaculatam Virginis Conceptionem & calamo & ore toto orbe celebrem reddidit. Ità Cajetanus in *Opusc. de Conceptione.* Suarez. *Tom. 2. in 3. p. d. 3. Sect. 5.* Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis ad *Sæc. 13.* Addit Wadingus, Scotum

Pari-

Parisiis in publico congressu, cui aderant Sedis Apostolicæ Legati, doctissimè pro Virginis innocentia disputâsse, & *Subtilis* titulo donatum esse. Idem & in eadem causa certamen Coloniæ repetiit, ubi iterum *subtiliter* ei acclamatum est. Imò scribunt alii, cùm Parisiis Aulam disputationi destinatam ingrederetur, vidissetque marmoream Virgininis statuam januæ impositam, in genua procidisse, & sic Virginem allocutum esse: *Da mihi virtutem contra hostes tuos*: cui protinus marmor caput inflexit; manetque in hunc diem statua Virginis capite demisso, salutantis & annuētis more. Ità recenset *Episcopus Osmensis in approbatione*. Pineda *in Adversar. Princip.* Ruiz, Lezana, & Bonaventura Baro, *in monumento Joannis Scoti p. 7. §. 4.*

Scripsêre pro Immaculata Conceptione hoc sæculo, Aureolus, Herveus, Mayronis, Baccho, aliique præstantes Theologi & Scholastici, quorum nomina deinceps silębimus, cum compertum

tum sit, nec ab aliis negetur, sententiam de Immaculata Conceptione post Scotum in omnibus scholis invaluisse.

Sæculo XIV. S. Vincentius Ferrerius, cujus jam suprà testimonium produximus §. 5. n. 2. Petrus de Alliaco in Meditatione super Angelica salutatione: *Meruisti quidem non tuâ justitiâ, sed Divinâ gratiâ, ut sola esses sinè væ culpæ venialis, & mortalis, & ut piè creditur, etiam originalis.* Gerson *Serm. de Conceptione Tom. 4. Operum, Consideratione prima: Spiritus,* inquit, *interdum revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates, vel expositiones S. Scripturæ, quas non revelavit eorum prædecessoribus. Sic dicit Gregorius in 12. Daniel: Pertransibunt multi & multiplex erit sententia Domini: ideo Moses scivit plus quàm Abraham, Prophetæ quàm Moses, Apostoli quàm Prophetæ; & Doctores addiderunt multas veritates ultra Apostolos. Quapropter dicere possumus, hanc veritatem: B. Virginem non fuisse Conceptam in peccato originali, de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel decla-*

ratæ, tam per miracula, quàm per majorem partem Ecclesiæ Sanctæ, quæ hoc modo tenet. Et in Consideratione 8. pro Immaculata Conceptione allegat S. Augustinum & S. Anselmum libro de Conceptu Virginis. *Sermone quoque de Nativitate Virginis*, quem habuit in Concilio Constantiensi, & extat *Tomo 3. Operum*: docet, *B. Virginem fuisse præservatam à DEO, nè caderet in peccatum originale, in quod alioquin vi legis ordinariæ casura erat.*

S. Bernardinus Senensis Tom. 1. Serm. 52. de Salutat. Angelic. *Fuit B. Virgo sinè primo væ, id est, sine tyranno concupiscentiæ originalis quia sinè ipso concepta est, juxta illud: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, scilicet originalis culpæ.* Et Serm. 49. post Pascha p. 1. *Non est credendum*, ait, *quòd ipse Filius DEI voluerit nasci ex virgine, quæ esset maculata aliquo peccato originali; imò credendum est. quòd voluerit sumere carnem ex carne purissima, & quòd ejus Mater fuerit plus quàm Adam & Heva, qui creati fuerunt sinè peccato originali.*

Al-

Alphonsus Tostatus Prologo in S. Hieronymum: *B. Virginem sinè originali macula conceptam fuisse nullo modo nego, sed toto animo confiteor.* Fuit Tostatus Episcopus Abulensis sanctitate & doctrinâ celeberrimus.

B. Laurentius Justinianus Tract. de Casto Connubio Verbi c. 7. *Hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo liber extitit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (excepto duntaxat Mediatore Christo JESU & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.* Et de gradibus perfectionis: *Ab hoc quippe originali peccato nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem.*

Hoc quoque sæculo Facultas Parisiensis solenni decreto statuit, ut omnes hujus facultatis Doctores Conceptionem Immaculatam jurarent.

Patres quoque Concilii Basileensis *Sess. 36. Doctrinam illam differentem, B. Virginem nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa tanquam*

piam

piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ ab omnibus Catholicis appobandam fore, tenendam & amplectendam definimus, & declaramus, nullique licitum esse in contrarium prædicare & docere. Circa hanc definitionem Concilii Basileensis *notandum* est, eo quidem tempore, quo illam Concilium edidit, non fuisse legitimum, sed acephalum & schismaticum, multis tamen ex titulis auctoritatem, & venerationem mereri.

Primò. Quia edita fuit post accuratissimum examen; sic enim habent acta Concilii Navarrica apud Spondanum *Anno 1435. n. 12. Concilium Cardinali Arelatensi injunxit, ut diligenter procuraret per omnes bibliothecas, ac singula archivia Universitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Regumque ac Principum perquiri quoscũque libros, scripta, acta, deliberationes, decisiones publicas & privatas, in Generalibus studiis, & alibi de hac materia factas, easque extrahi, & ad Synodum deferri, ut iis adjuta posset quæstionem hanc decidere, &* de-

definire. Quo examine præmisso, quadriennio post Concilium, ut suprà definivit.

Secundò. Notat Spondanus ad Annum *1439. n. 39.* Cùm lues atrocissima Basileæ grassaretur, latâ pro Virgine sententiâ, continuò malum cessâsse, Cælo hoc decretum approbante, quamvis alioquin à seditiosis dictatum.

Tertiò. Sed & Concilium Avenionense An. 1457. præsentibus duobus Sedis Apostolicæ Legatis, Cardinalibus videlicet Fuxensi & Avenionensi, illud ipsum decretum recepit, ratumque habuit. Verba Concilii sunt: *Decretum in Concilio Basileensi Festum de Conceptione Beatissimæ Virginis statuimus inviolabiliter observari, &c.* Magna ergo est hujus decreti auctoritas, quamvis non plena, & indubitata.

Sæculo XV. & XVI. Trithemius in Chronico sui Monasteri Spanheimensis, & in libro de Laudibus S. Annæ, egregiè Immaculatæ Conceptioni patrocinatur.

San-

Sanctus quoque Salesius Anicii Sodalicium instituit sub titulo Immaculatæ Conceptionis.

Omitto aliorum Doctorum nomina, quia ferè innumeri sunt, qui postea pro Immaculata Virgine scripserunt. Planè ex allata omnium sæculorum inductione patet, sententiam de Immaculata Conceptione esse antiquissimam, & à primis Ecclesiæ exordiis usque in hæc tempora propagatam, ut proinde ad eas veritates pertinere videatur, quæ Religioni coævæ sunt. *Nec obest*, fuisse ab aliquibus impugnatam; id enim omnibus ferè Religionis nostræ capitibus evenit, priùs quàm deciderentur. Sed age, ostendamus hanc esse totius Ecclesiæ mentem, hoc est, omnium Ordinum omniumque Ecclesiæ membrorum.

Nam Summos Pontifices quod attinet, non poterant mentem suam clariùs explicare. *Anno 1476* Sixtus IV. In Extravag. *Cum præexcelsa de Reliq. & Venerat. Sanctorum*, sic loquitur: *Sta-*

tu-

tuimus & ordinamus, quòd singuli Christi Fideles, qui Missam & Officium Conceptionis Virginis gloriosæ juxta piam & devotam ordinationem Leonardi de Nogarolis; & quæ desuper à nobis emanavit, Missæ, & Officii hujusmodi institutionem in die Festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis, & per Octavas ejus devotè celebraverint, indulgentiam & remissionem peccatorum consequantur, &c. Et initio Extravagantis: *Dignum & debitum reputamus singulos Christi fideles, ut Omnipotenti DEO, &c. de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant &c.* Et in Motu proprio ejusdem Sixti, qui ponitur in Extravagante. *Grave nimis. De Reliquiis, & Venerat. Sanctorum.* Et habetur in Bullario Emmanuelis Rodriquezii, damnantur, *qui affirmare præsumunt, Sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali tantùm Conceptione, & Sanctificatione ejusdem Virginis Gloriosæ Festum celebrare.* Ità Sixtus *Anno 1489.*

Innocentius VIII. Diplomate, cujus initium *Inter munera*, eximiè collaudat

Re-

Reginam Catholicam, *ob singularem, quem ad Conceptionem B. Mariæ Virginis gerit devotionis affectum.* Conceditque monasterium Sanctimonialium *sub invocatione Conceptionis* ædificari. Et DEUS quoq; suū votū adjunxit; nam submersa cum omnibus mercibus navi, post bimestre Pontificum Diploma illæsum, intactumque aquis eductum est, ut præter alios testantur Hieronymus Roman. *l. 6. Rerumpublic. c 39.* Castillo *Tom. 1. de Incarnatione d 2. q 1. c. 2.* Nierenbergius *in Parthenicis f. 23.*

Alexander VI. In Motu proprio, cui initium: *Illius qui*, recitato Sixti Diplomate: *Auctoritate Apostolica decernimus, præinsertas literas, ac omnia, & singula in eis contenta inviolabiliter observari debere.*

Julius II. Diplomate: *Ad statum.* Anno 1511. regulam constituit observandam à Monialibus sub invocatione Conceptionis, ubi inter alia: *Immaculatam Conceptionem venerantes, voveant semper vivere sinè proprio, &c.* Et in formu

la

la Professionis: *Ego soror N. ob amorem & servitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis voveo & promitto, &c.* Et in Bulla: *Dum præclara.* Vocat Julius: *Conceptionem Sanctam.*

Leo X. Ecclesias S. Mariæ in Campo Sancto, Sanctæ Mariæ de Populo, de Monte, de Ara Cœli, Sanctorum Apostolorum, S. Francisci trans Tyberim, S. Laurentii in Damaso, Jubilæo donavit in Festo Conceptionis. *Et Anno 1518.* in Bulla: *Pia Christi fidelium:* vocat, *Conceptionem immaculatam, &c.*

Adrianus VI. Bullâ *Romanus Pontifex.* Anno Domini 1522. confirmat Confraternitatem Toletanam in honorem Immaculatæ Conceptionis, in qua OEconomus & primus Confrater erat Carolus V. Imperator.

Clemens VII. Officium Conceptionis approbavit. *Paulus III.* confirmat omnia Privilegia Religionis Immaculatæ Conceptionis. Et in Concilio Tridentino *Sess. 5.* negat Beatissimam Virginem comprehendi generalibus

Scri-

Scripturæ locutionibus de peccato originali.

Julius III. Paulus IV. & Pius IV. varias indulgentias concedunt Sanctimonialibus Conceptionis.

Pius V. confirmat Extravagantes Sixti IV. & Officium Immaculatæ Conceptionis in eam formam reducit, quæ modô in Ecclesia Catholica observatur, & ubi Conceptio *dignissima & Sancta* pronunciatur. *Gregorius XIII.* variis diplomatibus quàm plura monasteria Conceptionis Beatissimæ Virginis in Hispania, Indiisque ædificari concedit.

Sixtus V. in Bulla, *Ineffabilia*, 1588. vocat *Conceptionem purissimam*. Clemens VIII. confirmat Sixti IV. & Pii V. Constitutiones de Immaculata Conceptione, jubet totâ Ecclesiâ celebrari, evehitque ad Classem Duplicis Majoris; de quo vide Gavantum in Thesauro *Tomo 2. Sect. 7. c. 2.*

Paulus V. In Generali Congregatione Sacræ Inquisitionis Anno 1617.

Con-

Considerans ex opinione asserentium. B. Virginem Conceptam fuisse in peccato originali, oriri in populo Christiano, cum magna DEI offensa, scandala, jurgia, & dissensiones; prohibet, ne in Lectionibus, Concionibus, Conclusionibus & aliis actibus publicis ea opinio doceatur. Narratque Joannes Burghesius *lib. de Patrocinio Deiparæ cap. 21. Quo die Madritum Cursor Regius Pontificium Diploma attulit, lampadem nocturnis tantùm horis coram imagine Conceptæ Virginis accendi solitam, medio foro, claroque die eo ipso momento, quo Cursor advenerat, sponte ardere cœpisse, consumptoque exiguo oleo, quod à præterita nocte supererat, aquam fomentum suppeditasse; ad quod exciti spectaculum innumeri ferè mortales convenêre, vigiliasque stupore defixi produxêre.* Additque Nierenbergius in Parthenicis fol. 28. *Testem se esse ingentis admirationis ex ardente, repentè, & opportunè lampade.* Idem Paulus in Brevi ad Philippum III. Anno 1617. vocat *Immaculatam Conceptionem.*

Gregorius XV. An. 1622. prohibet

primò

primò: Nè quis in privatis etiam colloquiis audeat affirmare, quòd B. Virgo concepta fuerit in peccato originali. *Secundò*. Ut Constitutiones Prædecessorum firmæ, & illibatæ permaneant. *Tertiò*. Nè quis in Officio Divino alio nomine quàm Conceptionis utatur.

Urbanus VIII. Confirmat Religionem Militarem sub invocatione Conceptionis, quam instituit Nivernensis, & postea Mantuanus Dux.

Alexander VII. Anno 1661. renovat diplomata *Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV.* in favorem sententiæ asserentis, *animam B. Virginis in sui creatione & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse;* nec non in favorem *Festi & cultûs Conceptionis ejusdem Virginis secundùm piam istam sententiam, &c.* Fatetur quoque Alexander, veterem esse Christianorum sententiam, B. Virginis animam in primo instanti Creationis, à peccato originali præservatam & omnes ferè Catholicos id amplecti. &c.

Cir-

Circa hæc Summorum Pontificum Decreta & Constitutiones *notandum est*: *Primò*: Summos Pontifices loqui ex cathedra; omnes enim fideles alloquuntur, eisque imperant, prohibent, Festa instituunt, & alia faciunt, quæ omnino dependent ex Pontificia potestate. Quamvis rem ipsam & mysterium quod attinet, nihil decidant, nec præcipiant credi. *Secundò*. Vocant & in suis diplomatibus, & in sacris Officiis, quæ approbant, Conceptionem *Sanctam & Immaculatam*. *Tertiò*. Eos qui sentiunt, Beatissimam Virginem fuisse Immaculatè Conceptam, idque externo cultu ostendunt, variis indulgentiis & privilegiis donant. Imò Pontifices & in suis diplomatibus, quibus Ecclesiam docent, Conceptionem vocant *Sanctam* & *Immaculatam*; & talem esse non permittunt tantùm, verùm etiam jubent in publicis precibus & sacrificiis ab omnibus conclamari. Nobiscum ergo sentiunt Summi Pontifices.

Sed

Sed nec minùs Universitates omnes, hoc est, flos omnium Ecclesiæ Doctorum. Tales sunt Universitates: Salmanticensis, Complutensis, Vallisoletana, Toletana, Hispalensis, Granatensis, Saguntina, Lexoviensis, Compostellana, Bàézensis, Osnatensis, Cæsaraugustana, Valentina, Grandensis, Barcinonensis, Tarraconensis, Ilerdensis, Oscensis, Mexicana, Limensis, Conimbricensis, Eborensis, Parisiensis, Moguntina, Coloniensis, Viennensis, Tolosana, Lovaniensis, Bononiensis, Neapolitana, Oxoniensis, Cantabrigiensis, &c. &c. Planè si tot Universitates errant, ubi erit Christi illa promissio: *Ubi duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum?* Si ibi Christus, ergo non ibi error: & planè oportet Ecclesiam totam errare; Ecclesia enim non credit, nisi quod audivit & didicit; non didicit autem, nisi à Doctoribus, nec Doctores nisi ex Universitatibus, Scholisque, in quibus studuêre.

Accedunt Universitatibus omnes Sacri Ordines, hoc est, illa pars hominum in Ecclesia, quæ & doctior, & sanctior; at nihil magis à falso secedit, ut doctrina & sanctitas, hæc enim facit, nè velis, illa nè possis errare. *Primò* igitur Immaculatæ Virgini militant Ordo Benedictinus, & præcipua hujus Lumina: Ordo quoque Carthusianus, Cisterciensis, Cœlestinus, Præmonstratensis, Augustinianus, Carmelitanus, Sanctissimæ Trinitatis, Hieronymianus, Seraphicus, Societatis JESU, & multi ac illustres ex Dominicana Familia, quos suprà recensuimus; & licet sperare secuturum aliquando totum Ordinem; quid enim illos moretur, toto jam orbe persuaso, & pro Virgine suffragium ferente?

Sequuntur Theologi omnium nationum, Itali, Hispani, Galli, Germani, Poloni, Scoti, Angli, Belgæ, Lusitani, Græci, quorum longum catalogum producit Raynaudus *in Tract. de Pietat. Lugd.* Ut omittam Hierosolymitanos, Sy-

Syros, Armenosque citatos à Petro O-jeda: *In Apologia pro Immaculata Conceptione c. 2.*

Teſtatur Nicolaus Lancicius *Opuſc. 11. cap. 13. Se legiſſe & deſcripſiſſe Anno 1599. ex originalibus Actibus Concilii Tridentini, ſibi ex licentia Clementis VIII. ad aliquot horas exhibitis; ex aliquot decadibus Epiſcoporum, qui fuerāt deputati ad tractandum de Immaculata Conceptione; omnes aſſeruiſſe, fuiſſe ſinè peccato originali Conceptam, ſolos quinque contrarium dixiſſe. Poſtea in alia Seſſione fuiſſe concluſum, ut tandem determinaretur à Concilio Tridentino, illam eſſe Conceptam ſinè peccato originali, ſed ob inſtantiſſimas preces, aliquot Epiſcoporum & Theologorum S. Dominici, Concilium ſuperſedit. Ità habetur in illis Actionibus Concilii, quæ diligentiſſimè legi, & hæc tunc exſcripſi.*

Taceo omnes Principes, Reges, Imperatores, omnesque Chriſti Fideles, qui hanc ſententiam tenent, ſuoque & omnium Clericorum, & Sacerdotum ore, precibus & ſacrificiis toto orbe

Catholico profitentur. Quis ergo est sensus Ecclesiæ, si ille non est, quem omnes Populi, omnes Principes, omnes Sacerdotes, omnes Theologi, omnes Academiæ, omnesque Pontifices, non in Scholis tantùm, sed etiam in Ecclesiis palàm decantant? An in hac causa locum meritò non habeat illa Augustini sententia *Epist. 7. ad Marcellinum: Scripturarum auctoritas necessaria non est, si ipse sensus communis verum esse proclamat.* Et Epist. 99. *Ecclesia ferè tota consentit, quòd eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas.* Agnovit hunc Ecclesiæ consensum, seque illi submisit celeberrimus Ordo Prædicatorum, quando in Concilio Provinciali Bætico (cui præfuit Albertus de las Casas, postea totius Ordinis Generalis] in Manuali jussu Capituli Anno 1524. Hispali vulgato ità pronuntiavit: *Quia Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quòd B. Virgo fuit Concepta in origina-*

ginali: sed jam de hoc non est curandum, cùm sit materia nullius utilitatis. & valde scandalosa; præsertim cùm tota ferè Ecclesia (cujus usus & auctoritas secundùm D. Thomam 2. 2. q. 20. a. 12. & 3. p. q. 68. a. 10. prævalet dictis Hieronymi & cujuscunque alterius Doctoris) jam asserat, quòd fuit præservata. Hæc ibi; quæ ex parte sunt confirmata in Capitulo Vallisoletano Anno 1605. Quodque omni alio testimonio majus est, Alexander VII. in Bulla Anno 1661. edita fatetur: *Omnes fermè Catholicos hanc sententiam amplecti.*

Verum quidem est, nondum esse in Oecumenicis Conciliis, aut à Summis Pontificibus definitam; cæterùm excepta Fide, quid rogo potest, aut certius esse, aut prudentius credi, quàm quod omnes sentiunt, quod omnes dicunt, quod omnes credunt, quod omnes scribunt, quod omnes vovent? Hoc forum, hoc Scholæ, hoc Templa, hoc Palatia, hoc Regiæ, hoc Vaticanum; hoc medii, summi, infimique de-

cantant. Quantum rogo præsidentiæ est, malle sibi, quàm omnibus credere, aliosque omnes erroris arguere, te uno excepto? Aut tu, Aut omnes errant.

Ad Scripturæ & Patres obstant. Tu ergo solus Scripturas, tu solus Patres intelligis? Aliter omnino omnes Universitates, omnes Doctores, omnes Pontifices, omnisque Ecclesia Scripturas intellexêre. Quid ergo æquius, ut tibi Ecclesia, an tu Ecclesiæ credas? *At Ecclesia nihil definivit:* esto, num ideo omnia incerta, quæ non definita? Et S. Thomas cùm dicit: *Maximam authoritatem habere consuetudinem Ecclesiæ, & semper & in omnibus esse æmulandam*; non de fide, non de dogmatibus loquitur; sed de consuetudine: quæ verò major, universaliorque Ecclesiæ consuetudo, quam de qua loquimur? Verbô: *Melius omnibus, quàm singulis creditur; singuli enim decipere & decipi possunt; nemo omnes, & neminem omnes fefellerunt.* Plinius *Panegyr. ad Trajanum.*

§. VII.

§. VII.

Miracula fieri non possunt, nisi in testimonium doctrinæ veræ; ergo ex mente S. Thomæ verum est Beatissimam Virginem esse sinè macula Conceptam.

SUMMARIA.

1. *Miracula fieri non possunt in confirmationem rei falsæ.*
2. *Diploma Pontificium mari haustum, & in scriniis inopinatò repertum.*
3. *Mortuus ad vitam revocatus.*
4. *Imago Conceptionis Immaculatæ lapidi incisa.*
5. *Lampas sponte accensa.*
6. *Stranguria momento curata.*
7. *Imago Conceptionis cadaveri S. Joannis à S. Cruce impressa.*
8. *Exercitus Hispanus periculo liberatus.*
9. *Lilium inter spinas Concionatori apparens.*
10. *Concionator improvisa morte in suggestu extinctus.*

11. *Naves à naufragio immunes.*
12. *Revelatio de Immaculata Conceptione facta S. Brigittæ.*

I.

SAnctus Thomas quodlib. 2. a. 6. ità loquitur: *Miracula visibilia fiant virtute Divina ad confirmationem virtutis Fidei; non autem fiunt miracula semper ad demonstrandam gratiam ejus, per quem miracula fiunt; & ideo fieri potest, quòd aliquis gratiam gratum facientem non habens, miracula faciat. Sed contingere non potest, quòd quis falsam doctrinam annuntians vera miracula faciat, quæ nisi virtute Divina fieri non possunt: sic enim DEUS esset falsitatis testis, quot fieri non potest.* Idem repetit Sanctus Doctor 3. p. q. 47. a. 4. estque expressa Christi sententia, cùm dicit: *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Si ergo ostendero sententiam, quæ favet Immaculatæ Conceptioni, fuisse miraculis confirmatam, necessariò sequetur ex mente D. Thomæ, veram esse; nec falsam esse posse. Age ergo, mira-

ra-

racula examinemus à viris fide dignissimis recitata.

II. *Primò. Anno 1484. Beatrix de Silva Lusitana è Parthenone Ordinis Cisterciensis, quem per annos 40 incoluerat, migrans in Regias Toleti ædes novum Ordinem Immaculatæ Conceptionis auspicata erat. Sed Diplomate Pontificio, dum in Hispaniam Româ provehitur, aquis merso, magnus mæror piissimam Virginem occupavit. Interpellatione tamen Deiparæ per Immaculatam suam Conceptionem, Diploma Pontificium inscrinio, aliis chartis admixtum reperit, tanta omnium admiratione, ut Episcopus Accitanus, decernente Toletano Archi-Episcopo, solenni pompa Diploma convexerit in novum Virginis Immaculatè Conceptæ Parthenonem. In qua eadem Beatrix, pridie quàm professionem emitteret, Beata Virgine præmonente, obdormivit; cadavere (in fronte stellâ aureâ eximii splendoris fulgente) tumulato apud Franciscanos.* Ità narrat Raynaudus *in Pietate Lugdunensi f. 274.* Nec opus est aliis Auctoribus, Archi-Episcopo Toletano, totaque Hispania teste.

 III.

III. *Secundò. Anno* 1428. accidit magnum illud, *quod ab Hispanis vulgò ob eminentiam vocatur miraculum Manresæ, eò quòd ibi & factum & ab omnibus, ac singulis solenniter annis celebratur. In Civitate Manressa Principatûs Catalauniæ ob particulares inimicitias, vir quidam Franciscus Planes, qui à Judicibus illius Civitatis, propter tale judicium suspensus, ultimoque fuit supplicio affectus, interfecit virum alium nomine Franciscum Mulet in Jure Baccalaureum, qui antequam humaretur, vivus surrexit, & novem duntaxat horas post resurrectionem vixit, quo tempore sæpius testatus est, se ad hoc fuisse iterum ad vitam revocatum, ut Immaculatæ Conceptionis veritatem testaretur, & Deiparæ Virginis præservationem, cui in vita adversatus fuerat in omnium præsentia fateretur. Ità habet traditio illius Civitatis, & pictura in muro ejusdem Ecclesiæ, & festivitas inibi per tot annos continuata testantur.* Ità scribit Joannes Serranus Episcopus Acernensis; & præter illum Joannes Nierenbergius *in c. 4. vitæ S. Ignatii.* Franciscus de Torres *d. 2. de Concept.*

c. 4. Sebastianus Abren *in Commentariis ad 1. 2. S. Thomæ Tract. 15. de 6.* Josephus Minot Canonicus, & Vicarius ac Officialis Generalis Ecclesiæ Barcinonensis in publico Instrumento ad S. R. Ecclesiæ Cardinales dato *die 28. Decembr. Anno 1653.* Christophorus Bernardus de Quiros inquisitor, cui, ut hoc miraculum examinaret, commissum fuerat. Additque Benedictus Genonus in Chronico ad Annũ 1430. *Die Lunæ, Sextâ mensis Octobris Anno 1430. in manibus Judicis Fidei deputati per Synodum Basileensem, fuit testificatum etiam sub juramento, quòd nono Mensis Septembris Anno 1428. in Civitate Minorissæ, quidam Franciscus Muleti Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Vicensis, &c. &c.* Nierenberg. *in Parthen. fol. 410.*

IV. *Tertiò. Anno 1650. die 13. Decembr.* Pater Franciscus Calderon Societatis JESU epistolam ad Europæos scribit in qua testatur: *In Episcopatu Michuacani, sive Tarascorum oppido, quod vocatur Villa de Jauna, cujus Parochi sunt Religiosi*

giosi Augustiniani, accidisse, ut in quodam trunco per medium scisso arboris, quam vocant Bujabo, inventa hæc verba Hispanica fuerint: Maria concepida sin peccato; quòd servatum est ut miraculum in Ecclesiæ Augustinianorum Sacrario ex sententia Episcopi Michuacani.

V. *Quartò. Anno 1617.* Sub Pontificatu Pauli V. contigit Madriti prodigium Lampadis sponte ardentis, quod in superiore Paragrapho libavimus. *n. 5.*

VI. *Quintò. Anno 1657.* Cardinalis Rappaciolus stranguriâ laborabat, horas jam centum & septem herente urina; ergo sacris procuratus, mortem in momenta opperiebatur, desperatis remediis. Subiit Confessarii animum, qui morienti aderat, Virginem implorare. Schedam ergo hac præcatione inscribit: *In tua Conceptione Virgo Immaculata fuisti, Ora pro nobis Patrem, cujus Filium genuisti:* porrigitque ægroto conglutiendam. Nec mora laxatis aquæ ductibus lotium procurrere, dejectis calculis septem, quorum unus

chi-

chirographo involutus, & momento æger redditus sanitati. Tota Roma, ubi hoc contigit, testis miraculi Vid. Raynaud. *in Piet. Lugd. fol. 324.*

VII. *Sextò.* De Sancto Joanne à S. Cruce, qui fuit Vir sanctitate, & gratiâ miraculorum planè insignis, & quem Carmelitæ post S. Theresiam, Parentem agnoscunt, & venerantur, hæc scribit Marracius *c. 37.* Fundatorum Marian. *Quanquam quosvis sacros Dei-Parentis dies commendatissimos habuit, Immaculatæ tamen Conceptioni diem dicatam singulariùs; id propter, & inter mortales a gens ab eadem Virgine multis gratiis cumulatus fuit, & post funus in membris ejus Purissimæ Conceptionis ejus imago visa est.*

VIII. *Septimò. Anno 1585.* Cùm Hispanus exercitus Bommeliæ inter paludes & eluviones ab hostibus obsideretur, & jam à fame, frigore, inundationibus, cymbisque Batavorum ultimam cladem expectaret, voto se Immaculatæ Virgini (cujus imaginem, dum vallum moliuntur, in fossa repere-

re.

rerant) obstringunt; nec mora pridie festi flantibus tota nocte frigidissimus Aquilonibus, aquæ gelantur, hostesque abscedere coacti, nè videlicet eorum naves repentino gelu alligarentur. Utque hostis abscessit, glacies velut officio suo functa, & aquæ navigantibus apertæ. In gratam beneficii memoriam, eodem tempore, iisdemque in castris instituta sodalitas militum Immaculatæ Conceptionis Rem totam prolixè Famianus Strada enarrat. *l. 7. Belli Belgici.* Neque potest negari, quippe inspectante toto Hispanico Exercitu, totoque Belgio teste.

IX. *Octavò. Anno 1653.* Sodalitas B. Virginis Assumptæ in Regno Valentiæ rogaverat Antonium de Guero S. Theologiæ Doctorem, ex Congregatione S. Philippi Nerei, vellet in urbe Xantiva festam diem panegyrica oratione pro suggestu exornare. Acceptavit, sed cùm ad parietem æmuli nescio cujus manu chirographum affixum reperisset, quo dicebatur: *Beatam Virginem*

nem cum peccato originali conceptam esse, mutato themate quod priùs meditatus fuerat, pro illibato Conceptu, in ea Canticorum verba: *Sicut lilium inter spinas*, disseruit. Oratio magno omnium plausu excepta. Sequenti & serena nocte, amœnam vallem inambulans reputare animo cœpit lilia inter spinas non crescere. Et ecce talia volventi, pulcherrimum, & candentissimum inter spinas lilium visendum se offert; accedit, capitque florem, eumque attentiùs spectanti apparet Imago Immaculatæ Conceptionis bulbo floris eleganter impressa, pallio, radiisque vestita, & dracone ad pedes jacente. Et ab Archi Episcopo Valentino aureæ cistæ inclusa, Philippo quarto donô missa est, & sacra ædes, ubi lilium apparuerat, ædificata. Testis miraculi tota Hispania, & rei historia Leodii prodiit. Anno 1665. *Vid. histor. prolixè descriptam apud P. Pexenfelder in Concionat. Hist. hist. 99.*

X. *Nonò. Anno 1350. Monachus quidam*

dam Paulus nomine ausus Cracoviæ in sacra ad Populum concione dicere, Deiparam Virginem conceptam fuisse cùm peccato originali, subitò cecidit & expiravit, necdum finito sermone; eaque res aliis multis, de eadem materia disputantibus, grandem incussit timorem. Sunt verba Spondani Auctoris modestissimi, & veracissimi, ad Annum *1359. n. 24.* Eandemque referunt Henricus de Hassia Carthusianus ejusdem temporis Scriptor. Magnum Chronicon Belgicum. Langius *in Chronico.* Mayereus *l. 13.* aliique apud citatum Spondanum.

XI. *Decimò. Anno 1617.* Bellarminus coram Pio V. pro Immaculata Conceptione retulit, atque inter cætera miracula etiam istud: *Naves, quæ signo Immaculatæ Conceptionis caruêre, naufragio sepultæ sunt; illis tantùm feliciter appulsis, quibus Immaculatæ Virginis imago pro Castoribus fuit.*

XII. *Undecimò.* Miraculis accensendæ sunt revelationes cælitus factæ,

nam

nam & iſta, cùm vires naturæ ſuperent, meritò inter miracula numerantur. Occurrit ergo S. Brigitta; cujus Revelationes quanti ſint momenti, doctiſſimè oſtendit Cardinalis Turrecremata in *Prologo defenſionis earundem Revelationum c. 1.* Planè Anno 1377. Urbanus VI. & poſt aliquot annos Gregorius IX. periꝛiſſimis Cardinalibus, Epiſcopis, & Magiſtris examinandas commiſit, ac poſtea confirmavit; idemque fecit Martinus V. teſte eodem Turrecremata. Verba Gregorii IX. ſunt: *Totum, quod in eis continetur* (hoc eſt in revelationibus S. Brigittæ) *& veritate conſpicuum eſt, & ſanctitate plenum, pellucidum atque perfectum.* Urbani vero VI. *Authenticas, & veritate plenas, & à DEI Spiritu veraciter traditas, &c. &c.* Et denique ipſa Eccleſia in Oratione, quæ in Miſſa dicitur, ſic DEUM orat: *Domine DEUS noſter, qui Beatæ Brigittæ per Filium tuum unigenitum ſecreta cœleſtia revelâſti, &c.* Hæc ergo Sancta *l. 6. c. 49.* ità loquentem Beatam Virginem inducit:

cit: *Veritas est, quòd ego concepta fui sinè peccato originali; quia sicut Filius meus & ego nunquam peccavimus, ità nullum conjugium fuit, quod honestius esset, quàm illud, de quo processi.* Narrat Trithemius *in Chron: Hirsaugiensi Anno 1369.* Sanctam Brigittam à quodam viro docto de Immaculata Conceptione interrogatam respondisse: *Si Matri placuerit Misericordiæ, interrogabo eam super hac re, & quidquid mihi responderit, indicabo tibi.* Quadam igitur vice in extasi posita interrogavit Dominam, & tale responsum accepit: *Crede filia, quoniam rectè sentiunt omnes, qui me præservatam ab originali macula & credunt & confitentur: malè autem, qui contrarium sentiunt, præsertim cum temeritate.*

Innumera sunt miracula alia, quæ in favorem Conceptæ Virginis afferuntur: ego aliqua tantùm libavi. *Nec refert*, non esse omnia à Sede Apostolica confirmata, & ideo nec fidem Divinam mereri; sufficit enim esse certa, ut certam fidem mereantur, & negari sinè

te-

temeritate non possint; nam ut optimè dixit Canus *lib. 11 de locis Theologicis c. 2. Conclus. 2. Plerique nostra hac ætate perversè, nè dicā impudenter, res quas esse gestas viri gravissimi testantur, in dubium vocāt, qui si idoneas causas, probabilesque redderent, audiendi quidem essent: cùm verò reddant nullas, contemnendi sunt, ut qui communem hominum sensum exuerint, judiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est, testimonia rejecerint, vitæq; magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis, historiam neglexerint.*

§. VIII.

Beatissimam Virginem esse Immaculatè Conceptam, variis rationibus ex S. Thoma desumptis probatur.

SUMMARIA.

1. *Non constat, Beatam Virginem peccato originali fuisse inquinatam; ergo dicendum est, non fuisse inquinatam.*

2. *Beata Virgo tanta puritate nitere debuit, quantam DEUS conferre potuit puræ creaturæ; ergo caruit originali peccato.*
3. *Beata Virgo plùs à DEO Dilecta, quàm reliquæ creaturæ omnes; ergo fuit præservata, nè peccato originali succumberet.*
4. *Si cui daretur potestas matrem eligendi, mallet incorruptam, quàm corruptam, & semel infamem.*
5. *Si ex nostro arbitrio penderet, nemo non illam à peccato originali præservaret Ergo multò magis præservavit eam DEUS.*
6. *Dispensavit DEUS cum Beata Virgine in legibus quæ minùs dedecebant; ergo multò magis in lege originalis peccati.*
7. *Eædem rationes, quibus Sancti Patres probant Virginis corpus fuisse à corruptione, vermibus præservatum, magis probant pro incorruptione animæ.*
8. *Non constat ex Sacris Literis, esse ream, ergo censenda est innocens.*
9. *Nullus effectus, nullumque signum originalis peccati in Virgine apparet; ergo prudenter credi debet exempta.*
10. *DEUS in rebus sacris maximam semper*

ra-

rationem habuit indecentiæ; ergo multò magis in anima, & vase suæ Divinitatis omnium sacratissimo.

11. Voluit DEUS Beatam Virginem nobilem sanguine nasci, hoc est, originis intactæ; ergo multò magis nasci nobilem animâ.

12. Si Beata Virgo à peccato originali præservata non est: ergo Christus nunquam exercuit actum perfectissimæ Redemptionis, quod credi non potest.

13. Dignitas Matris DEI magis immunitatem exigebat ab omni peccato quam Dignitas Angelica.

14. Ingratus est filius, qui matrem suam non colit, & prædicat quantùm licet & fas est; at licet & fas est, Beatissimæ Virginis Conceptionem Immaculatam colere, & prædicare.

15. Pro Immaculato Conceptu militant rationes & motiva credibilitatis, quæ Augustino Catholicam Fidem persuaserant.

16. Beata Virgo licèt omnium humillima nunquam se vocat peccatricem; non ergo peccatrix fuit.

17. *Ex privilegio Matris DEI (quæ est dignitas quodammodo infinita) ut omnes reliquæ Virginis prærogativæ; ità etiam illa Immaculati Conceptûs efficacissimè demonstratur.*

18. *Et denique ex titulo gratitudinis evidenter infertur.*

I.

RAtio I. S. Thomas *2. 2. q. 70. a. 2. ad 2.* docet: *In dubio judicem faciliorem esse debere ab absolvendum quam condemnandũ.* Et in c. 8. *Joannis lect. 1.* ad sententiam tres conditiones requirit: *In sententia*, inquit, *debent servari tria: benignitas, discretio & certitudo.* Idque legibus quoque humanis ratum est; neminem videlicet, præsertim in causis criminalibus, damnandum esse, nisi *ex probationibus luce meridiana clarioribus planè convictum.* Ità habetur *l. 5. ff. de pœnis;* & *l. Itèm mala ff. ad leg. Aquil.* Et *c. literas. De Præsumpt.* docentque omnes Jurisconsulti. Idque præsertim obtinet in Personis magna dignitate conspicuis, v. g. Episcopis, Cardinalibus

in

in quibus nè illæ quidem probationes sufficiunt, quæ alioquin in Jure pro plenissimis & certissimis habentur, ut docet idem S. Doctor loco citato. Ex qua D. Thomæ, omniumque communi doctrina, ità argumentamur. Nulla ratione probari potest (ut in solutione objectionum ostendetur) Beatissimam DEI Matrem fuisse originali peccato fœdatam; ergo pronuntianda est innocens, quam nemo probat nocentem. Si crimen adulterii, latrocinii, perjurii hominibus opponas etiam infimæ sortis, nec probes, certò absolventur. Cur ergo non absolvitur Mater DEI, postulata quidem gravissimi criminis, sed nec comperta, nec convicta? Æquissima petimus: eodem jure, quo criminosos, quo latrones, quo perjuros, etiam DEI Matrem censete; nihil gratiæ, aut privilegii pro ista rogamus; tantum illi, quantum pessimis date: sit innocens, si non convicta: absolvatur, si de culpa non constat: non liquet, non ergo

go damnetur. *O Mater quis te damnavit?* Aliqui: quis te convicit? nemo. O jura, legesque Romanæ! Filii damnant, quibus nè accusare quidem licet; & damnant incerto crimine, nè unquam probato; imò morti addicunt quàm tam multi, tam magni, imò tota Ecclesia in omnibus scholis, in omnibus urbibus, in omnibus templis innocentem esse pronuntiant, quòd que omnibus scelaratis permittitur, soli Mariæ non proderit, ut videlicet: *Accusatore non probante, Reus absolvatur.*

Nec dicant: *Se Virginis delictum ex scripturis, & Patribus probâsse.* Nam Ecclesia, & in Concilio Tridentino, & in Pontificiis diplomatibus, & ex omnibus suggestibus millies pronuntiavit; *probatum non esse, & de crimine non constare.* Nemo dixerit constare de Petri homicidio, si decem testes id asserant, centum negent: at ità in nostro casu res se habent; decem sunt, qui Virginem nostram peccati accusant, centum qui absolvunt. Cur ergo ma-

lis

lis contra Matrẽ cum paucis, quàm pro Matre cum pluribus sentire? Sit rea, sit nocens, sit filia peccati; at non constat: ergo absolvatur. Vivat, si non cõvicta.

II. *Ratio 2.* Constans est S. Doctoris, & multis locis repetita sententia, Beatam Virginem tanta puritate nituisse, quantam DEUS puræ creaturæ conferre potuit. Ità habet in 3. *sentent. d. 3. q. 1. a. 1.* Et *Quodlib. 2. ad 3.* Et *in 1. sent. d. 17. q. 2. a. 4.* Et 3 *p. q. 27. a. 2. ad 2.* Et *Opusc. 61. gradu 10.* Et *in 3. sentent. d. 3. a. 1.* concedit hanc propositionem: *Credendum est, Beatissimæ Virgini collatum esse, quidquid conferri potuit.* Eadem Augustini sententia fuit *Serm. de Assumpt.* & *l. 3. de Lib. Arbitr.* & *Epist. 3. ad Volusianum.* Cujus verba infrà recitabimus. Ex qua Angelici Doctoris toties inculcata doctrina ità argumentamur: Si B. Virgo à peccato originali præservata non est; aut ideo non fuit, quia Deus non potuit, aut quia noluit eã præservare? non primũ, quia Deus, omnipotens est: potuit ergo. Nec

nulla est implicantia, Virginem sinè macula nasci; quæ enim sit implicantia nasci innocentem? Imò quod nos cum peccato originali nascamur, & Adami delicto teneamur, non id necessitatis fuit, sed Divinæ voluntatis. Potuit ergo velle DEUS, ut peccatum Adami soli Adamo, non aliis noceret. Si ergo potuit DEUS totum genus humanum peccato Adami eximere, multò magis potuit unam; cur enim possit eximere omnes, & non unam? possit servos privilegiô donare, & non possit Matrem? Potuit ergo; nec potuit tantùm, sed etiam voluit; cur enim nollet? An quia Sanctissimam Virginem pacto cum Adamo, ejusque posteris inito incluserat? at poterat non includere; si ergo hoc potuit, cur noluit? An quia redimi debuit? At longè major, meliorque Redemptio est, quæ præservat casurum, quàm quæ sublevat jam lapsum. An ut humilior esset post culpam? An longè major potuit esse humilitas innocentis, quàm reæ; crescit

enim

enim humilitas ex dignitate, ut patuit in Christo: sufficitque ad humilitatem potuisse cadere, nisi sustineretur. An quia Justitiæ Divinæ id ratio postulabat? At Justitiæ Divinæ abunde satisfactum erat, omnibus Adami posteris, alienæ tantùm culpæ, non propriæ reis, temporali morte damnatis Cœloque exclusis: num hoc justitiæ parum erat, uno peccante tot posterorum millia, etiam alias innocentes, etiam invitos, & paternæ culpæ non tantùm expertes, sed etiam ignaros morte puniri? Nulla ergo postulabat justitia, ut Matri suæ DEUS non parceret: imò si Matri non parceret, cùm posset, lædi justitia videbatur; hæc enim jubet, quantùm licet & fas est, parentes à filiis honorari; at poterat Filius, & licebat, ut Matrem a dedecore, & casu servaret; hoc ergo justitiæ fuit.

Quòd si leges & jura humana, quæ sunt quædam imitatio Justitiæ Divinæ, prohibent matrem à filio in jus vocari, accusarique; quantò magis prohi-

bent non accusari tantùm sed etiam damnari ac morte affici, cùm possit filius succurrere? at verò nulla mors acerbior, quàm peccati; nec ulla mater magis merebatur, nec ullus filius magis poterat hanc mortem prævenire.

Dein justitiæ quidem sit delinquenti pœnam, & etiam mortem inferre, non tamen alienum à justitia est curare, & cavere, nè delinquas, & à culpa præservare; cur ergo Matrem suam non ità DEUS præservavit? *Denique* concedamus ad Justitiam Divinam spectâsse, ut ejus quoque Mater peccato originali teneretur; at gratiæ & clementiæ erat, nè id fieret, impedire; jam verò quis ita mentem, communemque sensum exuerit, ut & credat & dicat, voluisse DEUM cum Matre justitiâ potiùs & severitate, quàm clementiâ experiri? Servis justitia, Matri gratia debebatur; alioquin hic quoque tritum illud valuisset: *Summum jus summa injuria.*

Si ergo potuit DEUS salvâ integraque justitiâ Matrem custodire, nè caderet

deret, *quærimus*, quid causæ fuerit, ut nollet? Si enim omnium, quæ à DEO facta sunt, rationem aliquam credere possumus, quia videlicet ab illo omnia sapienter, summaque ratione facta sunt; quærimus, cur hujus tantùm cum Matre severitatis, nulla causa ostendi, nulla ratio possit?

Dices: Voluntatem DEI instar omnium rationum esse, nec aliam rationem quæri à nobis; multò minùs exigi posse; præsertim quia multa alia privilegia & beneficia conferre DEUS poterat Matri suæ, quæ nunquam contulit, videlicet ut esset immortalis, ut gratia majori prædita, de quibus æquè quæri ratio possit, sed æquè non inveniri.

Respondetur. Quando de Divina voluntate constat, meritò potest, debetque in illa conquiesci, nec alia ratio à nobis quæri, cùm summa omnium rationum sit: *DEUM ità voluisse*. Quando verò non constat DEUM voluisse, meritò ab iis, qui hanc Divinam vo-

luntatem jactant, signa & rationes quæ-
runtur, ob quas dicant DEUM voluis-
se? Cur enim rem adeò alienam à ratio-
ne, credituque difficilem admittam,
si tu nullam causam, nullamque ratio-
nem in medium promas, qua credi de-
beat? & quid hoc rei est, ut omnium,
quæ à DEO facta sunt, rationes produ-
ci possint, & hujus tantùm, quam tu di-
cis DEUM voluisse, nulla possit: *Si dice-
res*, voluisse DEUM, ut Sol in terram
aliquando cadat, ut Luna, cùm Soli
conjungitur, eclipsi laboret, ut lilia a-
misso candore nigra deinceps nascan-
tur, ut in Æthiopia nives cadant me-
dia æstate; si inquam, hæc diceres,
istarumque rerum rationem, & cau-
sam nullam redderes, possem ego tam
mira & insolita, ac fidem superantia pro
veris habere? & tamen multò mihi il-
lis omnibus incredibilius est, DEI Ma-
trem in peccato originali conceptam
esse; quantò enim anima B. Virginis
Sole, Lunâ, lilioque nobilior, tantò
minùs inquinari eam decuit.

Quòd

Quòd vero dicitur: *Potuisse DEUM reddere Beatissimam Virginem immortalem, nec tamen fecisse*, magna utrinque disparitas est; mors enim non est malum simpliciter, quale est peccatum, & malum culpæ; imò potuit mors esse actio summæ virtutis, fortitudinis, charitatis, meritique; sicque omnibus spectatis melius fuit B. Virginem mori. Non ità peccatum originale, quod absolutè malum est, objectumque Divinæ abominationis; & ideo B. Virgini eligendum potiùs fuit, Virginem non esse, quàm non esse innocentem, ac peccato originali infectam; quippe quantò anima corpori, tantò Virginitas animæ, Virginitati corporis præstat; & ista sinè peccato amitti potest, illa non potest. Ad id, quod adjungitur, potuisse Beatæ Virgini majorem gratiam dari, nec tamen datam esse; non ergo sequi, DEUM Matri dedisse, quidquid dari non repugnat. *Resp.* DEUM tantam Matri gratiam dedisse, quantam cognovit tantæ dignitati parem esse,

 hoc

hoc eſt, talem, qualem puræ creaturæ nec aliquando dedit, nec aliquàndo daturus eſt; non ergo oportuit majorem gratiam dari, quàm par eſſet. *Nota*, quantamcumque dediſſet, ſemper quæri poſſet, cur majorem non dederit, nec ulla indecentia fuit, tantam, nec majorem dediſſe.

Ex adverſò, ſicut dedecuit Matrem Chriſti non eſſe Virginem, & ideo DEUS hoc noluit, quantò magis dedecuit eſſe peccatricem, quantoque minùs hoc DEUS voluerit? Ut ergo Mater ſinè peccato originali conciperetur, & potuit DEUS, quia Omnipotens, & voluit, quia Filius. Ergo ut concludam cum S. Auguſtino *Serm. de Aſſumpt. Ubi Scriptura Divina de Beatiſſima Virgine nihil commemorat, inquirendum eſt, quid conveniat rationi, fiatque ipſa ratio auctoritas, ſinè qua nec eſt, nec valet auctoritas.* Et *l. 3. de Lib. Arbitrio. Quidquid tibi vera ratione faciendum occurrit, ſcias DEUM feciſſe, bonorum omnium conditorem.*

III.

III. *Ratio 3.* S. Thomas quàm pluribus locis docet Beatissimam Virginem plus gratiæ à DEO accepisse, sicque plus â DEO dilectam esse, quam fuerint reliquæ creaturæ omnes. Ità scribit. *1. sent. d. 17. q. 2. a. 4.* Et *3. sent. d. 3. q. 1. a. 1.* Et *Quodlib. 3.* & *3. p. q. 27. a. 5. in O. & ad 1.* Et alibi sæpe. Cui adstipulatur S. Bernardinus Senensis *Serm. 51. c. 3.* dicens: *Christum magis venisse in carne mortali pro B. Virgine redimenda, quàm pro omnibus hominibus, etiam si omnes cum Illa conferantur,* & ideo eam vocat *Primogenitam Redemptoris.* Et Suarez 3. p. Tom. 2. d. 18. *DEUS plùs amat solam Virginem, quàm reliquos Sanctos omnes.* Ex qua S. Thomæ doctrina ità argumentari licet: DEUS Beatissimam Virginem magis dilexit, quàm alias creaturas omnes, idque non tantùm amore gratuito, & arbitrario, verùm etiam amore debito & necessario; ex quo enim momento decrevit Filius esse, decrevit quoque omnem ei amorem, reve-

rentiam, & protectionem præstare, quam filius parentibus tenetur; atqui amor ex sua natura avertit, expellitque à re amata omne malum, & in dignitatem; si ergo DEUS plùs Matrem amavit, quam cæteras creaturas, ergo etiam plus eam à peccato (quod est summa miseria & indignitas) custodivit, quàm reliquas creaturas: ergo etiam custodivit, & præservavit à peccato originali sicut custodivit tot Angelorum millia.

Quomodo enim plùs amâsset Matrem, quàm Angelos, si, cùm Matrem æquè à peccato præservare posset, ac Angelos, istos præservâsset, & non Matrem? Aut ergo minùs Matrem amavit, quàm Angelos; aut si magis Matrem, ergo etiam magis curavit, nè caderet, neque subderetur turpissimæ Dæmonis servituti. Potuit quidem Deus ex Beatissima Virgine non nasci; sed postquam decrevit nasci, eamque habere pro Matre, non potuit non plùs amare, eamque non plùs à malo custodire,

dire, quàm reliquas creaturas omnes.

Dices: Cùm Virgo conciperetur, nondum erat Mater, sicque nondum eam DEUS plùs aliis creaturis diligere tenebatur.

Respondetur: Jam ab æterno electa erat in Matrem; ergo jam ante Conceptionem præ omnibus creaturis amabatur. Si enim amor ex dono æstimatur, sicut donum, quo gratuitò est in Matrem electa, & cumulo omnium creaturarum prælata, excedebat dona aliis creaturis collata, ità & amor. Si ergo ante Conceptionem plùs omnibus creaturis dilecta, sequitur, plùs omnibus à peccato custoditam, & præservatam esse, ut videlicet cura & custodia amori responderet. Et ideo privilegia Beatissimæ Virgini concessa, quòd videlicet fomite caruit, quòd nullis motibus concupiscentiæ jactata, nullique peccato veniali obnoxia, jam priùs incepêre, quàm Mater evaderet. Si ergo jam ante Maternitatem plùs omnibus creaturis dilecta, sequitur,

plùs quoque à DEO protectam, nè peccato fœdaretur.

IV. *Ratio 4.* Si quis potestatem haberet sibi matrem, aut sponsam eligendi; certum est talem electurum, quæ nunquam corrupta esset, nullaque infamiâ laborâsset, tantoque magis id faceret, quantò innocentior, nobiliorque is esset, qui eligeret; at DEUS potestatem habebat eligendi Matrem, qualem volebat, quis ergo credat, cùm posset innocentem & intactam habere, maluisse corruptam, & infamem? & corruptam non à juvene aliquo, aut lenone impudico, sed ab omnium creaturarum turpissima, & vilissima, Deique inimicissima, qualis Diabolus est? An verò DEUS minùs amat honestatem, & innocentiam, quàm homines; ut cùm homines sponsam & matrem innocentem velint, si possint; DEUS, qui poterat, nocentem & defloratam prætulerit? Ad hanc rationem spectavit D. Thomas, cùm probans B. Virginem nunquam venialiter peccâsse, his

argumentîs utitur, quia videlicet *nulla est conventio luci ad tenebras*: Quia *Gloria filiorum Patres eorum*: Quia *in malevolam animam non introibit sapientia*. Ità S. Thomas *3. p. q. 27. a. 4.*

V. *Ratio 5.* Si in nostra, qui Virginem amamus, potestate, arbitrioque fuisset, eam à peccato originali præservare, quis non præservâsset? multò ergo magis eam præservavit, qui eam magis dilexit; Deus videlicet, præsertim cùm nulla ratio fuerit, quæ Deum moraretur, nè amori suo in tantam Virginem indulgeret, non justitiæ, non pacti, non redemptionis, ut suprà probavimus. Cur ergo non credimus DEUM fecisse, quæ nemo nostrûm non faceret? Potuit & decuit: ergo fecit. Quod argumentum fundatur in illa Regula Augustini, ubi agens de incorruptione Corporis Virginei post mortem: *Nullus dubitat: quin possit DEUS Mariam sinè corruptione servare, ergo dubitandum non est voluisse*. Ità habet in *Sermon. de Assumpt.* Ergo ex sententia

Au-

Augustini in exornanda, præservandaque Virgine *DEUS tantum voluit, quantum potuit.* Sic idem S. Augustinus in *Epist. 3 ad Volusianum: In talibus tota ratio facti potentia facientis est.* Et in *cit. Serm. de Assumpt. Quidquid tibi vera ratio dictat, nec melius occurrit, id scias fecisse DEUM.*

VI. *Ratio 6.* Dispensavit DEUS cum Virgine in aliis legibus, quæ toti generi humano impositæ sunt, quales sunt: *Paries in dolore.* Et illa: *In pulverem reverteris.* Et illa: *Pronum est cor hominis ad malum ab adolescentia sua.* Cur rogo his legibus Virginem exemit? Quia Dei Matrem dedecebant; at multò magis dedecuit peccatum, multò ergo magis hôc eam liberavit: quippe tantum est malum omne peccatum, ut si optio daretur, mallet non esse Virgo, mallet non esse DEI Mater, quàm esse peccatrix. Primum ergo hoc Virginis votum, primæque praeces fuerunt, nè in mundum prodiret jam deflorata. Dicebat illa, cùm pri-

mo

mò Mundum ingressa est, quod olim Ester ad suum Assuerum: *Ester. c. 15. Si inveni gratiam in oculis tuis O Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo.* Et quid tam justa postulanti aliud DEUS responderet, quàm quod Assuerus optanti Reginæ: *Noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus lex hæc constituta est.* Ergo, ut dixi, si DEUS cum Virgine in legibus dispensavit, quæ minùs, certè dispensavit in legibus, quæ magis Matrem dedecebant.

VII. *Ratio 7.* Sancti Patres iisdem rationibus moti sunt ad amovendas à Matre DEI imperfectiones, quæ multò minùs Matrem DEI dedecebant, quibus nos movemur ad negandum peccatum originale, quod multò magis Virginem dedecet; ergo aut illi errârunt, aut nos non erramus, qui eorum exempla, & vestigia imitamur. Non admittunt illi vel in pedibus pulverem (hoc est in infima hominis parte) quia Cœli Reginam non decet; quantò ergo minùs admittemus

nos

nos vel in ipsa facie, hoc est, in anima, saniem & carcinomata, hoc est, peccatum, quo nil fœdius coram DEO? Lege S. Augustinum *Serm. de Assumptione*, ubi fatetur, se nulla quidem Scripturarum, aut Sanctorum auctoritate cogi ad credendum corpus Virginis in pulverem, cinerem, & vermes resolutum non esse; se tamen rationibus vinci, nè id credere possit: *Animus hæret, sentire non valeo, dicere pertimesco.* Et cur quæso Augustine dicere pertimescis? *Quia*, inquit, *excipitur, quam tanta servat gratia, & attolit dignitatis prærogativa: quia pertinet ad dignitatem Domini suæ Matris servare honorem, qui legem non solvere venerat, sed adimplere: quia nullus dubitat, quin possit Mariam sinè corruptione servare, cur ergo dubitandum est noluisse? quia in Mariæ integritate plus potuisse gratiam, quàm naturam, non est dubitandum.* En tibi rationes Augustini. quæ si militant pro integritate, & incorruptione corporis, multò magis pro integritate, & in-

corruptione animæ. Quis enim nescit, si optio Virgini daretur, millies eam potiùs cineres, & pulveres corporis electuram, quàm semel peccatum? Ubi *nota*, non bene illos de doctrina Augustini mereri, qui, cùm de innocentia Virginis agitur, nolunt illam regulam ab Augustino commendatam, inculcatamque admittere, videlicet: *Potest Mariam sinè corruptione servare; ergo dubitandum non est, voluisse.*

VIII. *Ratio 8.* Beatam Virginem peccato originali inquinatam fuisse, *nullo modo*, aut *dubiè*, aut *certò* ex Scripturis sacris probari potest. Si *nullo modò*? ergo cadit totum fundamentum, quo accusatio nititur; & quæ fiducia est, aliquem peccati originalis damnare, quem DEUS non damnat? cùm tamen reatus peccati originalis ex sola DEI voluntate procedat; nemo enim peccato Adami teneretur, nisi DEUS teneri vellet: hæc verò DEI voluntas constare nobis non potest, nisi ex Verbo DEI scripto, aut tradito. Si

verò

verò de peccato originali Virginis Scriptura *dubiè tantùm, obscurèque* loquitur; ergo ex Scriptura non constat, nec ream esse, nec innocentem; ergo tam licet dicere innocentem, quàm ream; at quæ pietas est, cùm Matrem liceat absolvere, aut damnare, malle damnatam, quàm absolutam? Pendet ex arbitrio nostro, mortem an vitam mereatur, & tamen mortuam volumus; qui sic judicat, amicus, & filius est? Si denique *certò* ex Scripturis constat peccati originalis ream esse; ergo omnes Hæretici sumus; id verò tam absurdum est, ut nec adversarii objiciant, nec opus sit à nobis refutari.

IX. *Ratio 9.* Nemo prudenter de causa aliqua judicare potest, cujus nullum videt effectum, multoque minùs, si omnino contrarios, & repugnantes causæ effectus observet. Sic imprudentissimus sit, qui judicet elementum ignis esse naturæ gravis, cùm nullos effectus gravitatis in illo deprehendat; nec enim est densus, nec deorsum move-

vetur, nec ponderat; imò contrarios omnino gravitati effectus præ ſe fert; eſt enim rarus, & ſurſum movetur. Eodem modo imprudens, imò ignorantiſſimus eſt medicus, qui dicat, imò qui pertinaciter aliis perſuadere velit, hominem aliquem expirâſſe, in quo nulla ſigna ſunt mortis, non pallor, non pulsûs ceſſatio, non oculi fracti, non labia exanguia, non halitus ſuppreſſus, non motus ſublatus; imò omnia contraria, alacris pulſus, ſibique ſimilis, color floridus, vires integræ, lucentes oculi, & agilitas corporis; hunc ſi quis mortuum diceret, ineptus potius, quàm medicus dici mereatur.

Eodem modo de peccato originali oportet philoſophari. Peccati originalis, teſte D. Thoma *1. 2. q. 85.* effectus iſti ſunt: *Inclinatio ad malum, ſeu fomes peccati, & concupiſcentia, pugna naturæ inferioris cum ſuperiore, ignorantia in intellectu, debilitas ſeu languor voluntatis in proſecutione boni, ac denique peccatum veniale;* de quo S. Auguſtinus *l. 5 con-*

tra

tra Julianum c. 9. & cap. 15. hanc regulam ponit: *Is qui in adulta ætate peccatum nullum fecit, in infantili ætate peccatum non contraxit: & ideo Christus peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset.* Cùm ergo in in B. Virgine nullus fuerit peccati originalis effectus, nullumque signum, imò signa potiùs contraria, ac peccato originali repugnantia, videlicet maxima ad bonum propensio, summa pax, & harmonia affectuum, rationi plenè obtemperantium, perfecta rerum omnium naturalium & supernaturalium notitia, summus ardor voluntatis immenso amore flagrantis, ac denique perpetua puritas ab omni peccato veniali; qua, inquam, ratione suspicari potes fuisse peccato originali infectam, in qua nullum peccati signum? Tu dicis mortuam peccatô esse, at ego nulla signa mortis in illa reperio, imò omnia vitæ; si ergo medicus de morte corporis, & Theologus de morte animæ ex signis judicat, certum est, nunquam mortuam esse, in qua nulla signa mortis notata. *Di-*

Dices: Mors corporis est effectus peccati originalis.

Resp: Si ità est, ergo & Christus peccavit, quia mortuus est. Mors ergo non propriè & unicè effectus est peccati originalis, sed naturæ humanæ ex materia prima sublunari, & contrariis ac pugnantibus elementis compositæ: nec inducit ad peccatum, sed potiùs moratur, finitque peccatum; & ità principaliter non est effectus peccati, sed naturæ, ac etiam gratiæ, cùm sit maximè meritoria, retrahatque à peccato; & ideo in eo etiam fuit, qui nunquā peccavit. Sicut ergo non sequitur, illic esse febrim, ubi est calor, (cùm calor, ab aliis causis provenire etiam possit, præter febrim) ità non sequitur fuisse peccatum, ubi fuit mors, quia mors non à solo peccato, sed ab aliis etiam causis procedit. Nec gratia originalis & sanctificans ex sua natura mortem in primis Parentibus arcebat (alioquin esu arboris vitæ non eguissent] sed ex beneplacito & privilegio DEI, quod à gratia

san-

ſanctificante ſeparari poteſt, ut patuit in Chriſto. Cùm ergo ex una parte doceat S. Auguſtinus *Lib. de natura & grat. c. 26.* B. Virginem ab omni peccato veniali fuiſſe immunem: ex altera, eum, qui caret, omni peccato actuali, caruiſſe omni peccato originali; quis rogo peccatum & mortem in illa anima ſuſpicetur, in qua S. Auguſtinus, tantus medicus animarum, nec mortem, nec ſigna mortis invenit?

X. *Ratio 10.* In rebus ſacris magna ſemper à DEO indecentiæ, quamvis alioquin nullam culpam adjunctam haberet, ratio habita eſt. Sic enim noluit DEUS à Sacerdotibus Veteris Teſtamenti alias uxores, quàm virgines duci: noluit à Davide, quamvis ſancto, ſed bellatore, humanoque ſangvini fudendo planè aſſueto, Templum ædificari: noluit à Juda Machabæo ſacrificia in eo altari offerri, quod ſacrilegis hoſtiis Gentiles profanâſſent: noluit corpus ſuum in aliud ſepulchrum condi, quàm novum, intactum-

que

que, nec aliis linteis, quàm mundissimis involvi. Quantò ergo magis credendum est, noluisse Deum ipsam Virginem peccato profanari, quam ad opus omnium planè sacratissimum, & in Matrem elegerat. Tanta cura pro altari, tanta pro templo & sepulchro, nè quid indecori, fœdique haberent, & non multò major pro Matre? aut profanatio aliqua fingi potest pejor peccato?

XI. *Ratio* 11. Nobilitas nihil aliud est, quàm excellentia & claritas originis, quo fit, ut sicut conditio originis & nativitatis mutari non potest; nemo enim nasci aliter potest, quàm aliquando natus est: ità quoque nemo verè nobilis esse possit, qui talis natus non est. Potest pauper opulentus fieri, potest privatus ad publicos magistratus & honores provehi; sed verè nobilis esse non potest, nisi qui natus. Nam quamvis Principis diplomate nobilitatem aliquis assequatur, semper tamen nota pristinæ conditionis & contemptûs manet; unde ignobilitas

&

& obſcuritas originis à Juriſperito vulneri comparatur, quod ſanari quidem poteſt, ſed nunquam cicatrice ſatis obducta. Quæ cauſa eſt, ut nihil ferè homines objici ſibi impatientiùs ferant, quàm ignobilitatem, quippe indelebilis maculæ. Et ideo DEUS ipſe, quamvis Matrem humilem, privatæ conditionis, inopemque elegerit, nobilis tamen, imò regii ſangvinis eſſe voluit, nè contemptui hominibus eſſet. Si ergo tantæ curæ DEO fuit, ut quoad carnem nobilem Matrem haberet, quãtò magis ut haberet nobilem animâ, hoc eſt, originis intactæ præcellentis, & gratiâ inſignis? non verò originis obſcuræ ſervilis & peccatò fædatæ; nec enim pejor, viliorque conditio, quàm peccatoris. Si ergo, ne contemptui hominibus eſſet, oportuit carne nobilem eſſe multò magis oportuit nobilem animâ eſſe, nè contemptui Angelis eſſet, quibus deſtinabatur Regina. Aut dicatur mihi, cur eſſe ignobilem carne Dei Matrem dedeceat,

& non dedeceat esse ignobilem animâ, hoc est, in servitute peccati conceptam?

XII. *Ratio* 12. S. Thomas *1. p. q.* 47. *a.* 2. docet: *Optimi agentis esse producere totum effectum suum optimum saltèm per ordinem ad totum.* Idque confirmat S. Augustinus *l.* 3. *de Libero Arbitrio c.* 5. Ubi *Quidquid tibi vera ratione occurrit, id scias fecisse DEUM.* Ex qua doctrina D. Thomæ ità argumentamur: Connaturale est omni causæ, etiam liberæ, & impedimentorum capaci, ut aliquando nobilissimum, & præstantissimum effectum producat. Sic Musicus quamtumvis ex certis rationibus non semper optimè cantet, aliquando tamen id facit. Et pictor licèt non semper, aliquando tamen, quàm potest optimè pingit. Ergo Christus Dominus Redemptor Generis humani, aliquando saltèm edidit specimen optimæ redemptionis, quæ est Redemptio *præservativa*; at quem optima hac redemptione à peccato liberavit, si non Matrem liberavit? Aut ergo istam,

aut nullam: quòd si nullam, ergo DEO contigit, quod nulli causæ, ut videlicet posset optimum effectum, & tamen nollet, sterili ejus Omnipotentiâ ad optimam prolem.

XIII. *Ratio 13.* Docet S. Thomas *3. p. q.71. a.5.*ex S.Paulo *2. ad Corinth. 3.* DEUM dare unicuique gratiam proportionatam illi dignitati, ad quam eligitur: at dignitas Maternitatis Dei est major dignitate omnium Angelorum (alia enim est dignitas servi, alia dignitas Matris) ergo cùm Angeli fuerint creati in statu gratiæ, multò magis ità creari decuit animam Matris. Si enim noluit in suo palatio habere servos, nisi innocētes, quantò magis noluit habere Matrem, nisi innocentem?

Dices: B. Virgo fuit filia Adæ, & consequenter ejus peccato obnoxia, non ità Angeli.

Resp. Fuit filia Adæ, sed simul fuit Mater DEI; si ergo tu dicis, peccare debuisse, quia filia Adæ, ego dico non debuisse, quia Mater DEI. Quantùm

er-

ergo DEUS Adamô præstat, tantùm præstat titulus Matris DEI titulô filiæ Adami; cessit ergo debitum filiæ Adami dignitati & privilegio Matris DEI. Sicut enim si ancilla Regi nubat, cedit origo & conditio ancillæ privilegiis & dignitati Reginæ. Sic Beatissima Virgine ad dignitatem Matris evecta, de illa loqui oportet, non ut de filia Adami, sed ut de Matre DEI; nec tam considerare, quid ei conveniat ùt ancillæ, quàm quid conveniat ut Matri Innocentis DEI, omniumque creaturarum Reginæ.

XIV. *Ratio 14.* Negari non potest, debere à nobis amari, & coli Beatissimam Virginem, & de illa optimè sentiri, quantùm licet & fas est; id enim & illam & nos decet; quis enim filius, nisi ingratissimus matrem suam non colat, amet, deprædicet & veneretur, quantùm licet, & fas est? At licet, & fas est Beatissimam Virginem Innocentem, Immaculatam, omnisque peccati originalis expertem credere, fateri, ut

talem colore, & ubique prædicare; imò Ecclesia non tantùm id permittit, verùm etiam maximis beneficiis spiritualibus, suo exemplo, & solenni festo invitat; cur ergo nos quoque non eam colamus, & ubique terrarum innocentem, peccatique omnis expertem deprædicemus?

Hæc ratio palmaris est, & plane convincit, nullumque tergiversationi locum relinquit. Potestis negare, Matrem amari, colique debere, quantùm licet & fas est? Potestis negare, licere Immaculatam, & Innocentem credere, & prædicare? Potestis negare longè præstantius esse, illam semper fuisse innocentem, quàm aliquando peccatricem, & maculâ inquinatam? Credite ergo & dicite de illa, quod præstantius est, quodque credere, & dicere vobis licet, & fas est.

Scribit S. Thomas *1. p. q. 20. a.* 4. *ad 5. Majorem gratiam ei fieri, qui conservatur in innocentia, quàm cui remittitur peccatum.* Ego majorem hanc gratiam in

Ma-

Matre mea agnosco & prædico: vos, cùm agnoscere & prædicare liceat Ecclesia permittente, imò invitante, majorem hanc gratiam rejicitis; qui ergo titulum magis filii merentur, qui minùs? an qui magis intrà honestum tamen, Matri suæ tribuunt? Planè non ignoscendus tantùm, sed etiam commendandus hic error, si quis amico suo bona fide, deceptusque plus tribuat laudis, quàm méretur; quantò magis si Matri, & si ex vero? Dicam ego cum Plinio Senatore. *l. 7. Epist. 28.* [cui nimia amici commendatio vitio vertebatur) mutata solùm voce amici: *Agnosco crimen, amplector etiam, quid enim honestius culpâ charitatis? Qui sunt tamen isti, qui Matrem meam melius me nôrint? Sed ut nôrint, quid invident mihi felicissimum errorem? Ut enim Maria non sit talis, qualis à me prædicatur, ego tamen beatus quòd mihi videtur: mihi nunquam persuadebunt, ut Matrem meam nimiùm à me diligi putem.* Si ergo & qui asserunt sinè macula Conceptam esse, & qui

negant, errare possunt; malim cum iis errare, qui dicunt innocentem, quàm cum iis, qui dicunt peccatricem.

XV. *Ratio 15.* S. Augustinus *contra Epistolam Fundamenti c. 4.* rationes enumerans, quibus cogebatur, ut Religionem Catholicam veram esse crederet, aliisque præferret, hæc habet: *Multa sunt, quæ in Ecclesia Catholica justissimè me tenent: consensio populorum & gentium, auctoritas miraculis inchoata, Sedes Apostolica, cui pascendi oves suas Dominus curam demandavit.* Si hæc convincendo Augustino suffecêre, cur non sufficiant convincendo tibi? An verò aliquid istorum Immaculato Conceptui deest? num consensus populorum? num omnium ferè Doctorum, ac Universitatum auctoritas? num diplomata Pontificum? num miracula & multa, & à fide dignissimis recitata? quibus si credere nolis, oportebit planè communem sensum exuere, omnemque historicam auctoritatem è medio tollere; sicut enim

va-

vanissimum est, omnia ac passim, ità stultissimum nihil, & nemini credere. Si ergo hæc, quæ Theologi vocant *motiva credibilitatis*, talia sunt, ut Augustinus digna crediderit, quibus etiam res difficillimæ, quæque omnem humanam rationem superant, persuadeantur; quantò magis sufficient rei facillimæ persuadendæ, humanæque naturæ tam consentaneæ, quàm est Matrem à Filio præservatam, nè caderet, nè communi servorum conditioni, ac legi misceretur, nè morti succumberet. Quid amabò facilius creditu? & tamen quot argumentis è Cœlo provisum, ut credantur? Cur ergo iis rationibus tibi non facillima persuadeantur, quibus etiam difficillima Augustino persuasa sunt? Aut ergo nimis credulus Augustinus, aut tu nimis inaccessus veritati.

XVI. *Ratio 16.* Constat Beatam Virginem humillimam fuisse; adeò ut hac potissimùm virtute in DEI Matrem eligi merita sit juxta illud Augu-

ſtini: *Virginitate placuit, humilitate concepit*, idque aliis quoque Patribus viſum; nam S. Bernardus Serm. ſuper Signum magnum: *Meritò facta eſt noviſſima prima, quæ cùm prima eſſet omnium, ſeſe noviſſimam faciebat.* Et Richardus à S. Laurentio *de Laudibus Virg. l. 1. c. 3. Nimirum humilitas Mariæ Regem Cæli traxit ad terram.* Si humillima; ergo nihil eorum omiſit, quibus conditionem ſuam deprimeret, oſtenderetque indignitatem, ut ex adverſo tantò magis Divina in eam Bonitas & Clementia eluceret. Id præſertim ex Cantico illius patet, ubi nihil non agit, ut rationes, & argumenta producat Divinæ Miſericordiæ extollendæ, deſcribendæque ſuæ indignitati, quantùm videlicet citra mendacium licuit. *Quia* inquit, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Græcè *Tapeinoſin:* hoc eſt, vilitatem, exiguitatem. Tacet virtutes, narrat obſcuritatem, ut tantò majus appareat beneficium & liberalitas Dantis, quantò magis indi-

gnæ

gnæ collatum. Reſpexit inquit, *humilitatem*, paupertatẽ, imperfectionem, exilitatem *ancillæ ſuæ*. Amabo te, ſi peccato originali aliquando tenebatur, cur non potiùs dicit: Quia reſpexit iniquitatem miſeræ peccatricis ſuæ? Sicut enim nulla paupertas, nulla imperfectio, nulla obſcuritas, nullumque malum peccatô pejus; ità nihil æquè hominem indignum reddit, Deique Miſericordiam, ut peccatum, xtollit. Hinc tanta Sanctorum cura, Moſis, Pauli, Auguſtini, aliorumque, ut delicta ſua Mundo oſtenderent. Ipſe David inter alia peccata etiam originale exponit, ut nihil omittat, quod confuſioni ſuæ ſervire poſſit. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Si ergo B. Virgo omnes mortales humilitate ſuperavit: ſi vilitatem & indignitatem ſuam in Cantico operosè deſcripſit; cur ergo peccatum tacet, quo nihil opportunius profitendæ vilitati? cur ſe ancillam

I 5 di-

dicit, non peccatricem? cur humilitatem suam, hoc est, tenuitatem, non iniquitatem memorat? cur tot Sanctorum exempla non imitatur, peccata & delicta sua recitantium? Planè alterutrum concedi oportet, aut non fuisse omnium humillimam, si peccatum tacuit, quo tenebatur: aut: omni peccato caruisse, & ideo nihil de peccato locutam nè veritatem mendacio offenderet. Dixit ergo ancillam, non dixit peccatricem; quia unum, non alterum fuit, utrumque dictura, si utrumque fuisset.

XVII. *Ratio 17.* Potissima tamen ratio, quæque omnes complectitur, est dignitas Matris DEI. De hac ità S. Thomas *1. p. q. 25. a. 6. Beata Virgo ex hoc, quòd est Mater DEI, dignitatem habet aliquo modo infinitam ex Bono infinito, quod est DEUS, & cujus est Mater.* Idem docuit S. Eucherius, cujus est celebris illa sententia: *Scire vultis, quanta sit Mater? cogitate, qualis*

sit

ſit Filius. Et S. Anſelmus *de Excell. Virg. c. 2. Hoc ſolum de Beatiſſima Virgine prædicari, quòd ſit Mater DEI, excedit omnem altitudinem, quæ poſt DEUM dici, vel cogitari poteſt.* Et S. Petrus Damianus: *Attende Seraphim, & videbis, quidquid majus eſt, Virgine minus eſſe, ſolumque Opificem opus iſtud ſupergredi. Obſervandum* quoque B. Virginem duplici ratione ad Incarnationem Chriſti concurriſſe, videlicet, ut cauſam *phyſicam* & cauſam *moralem*; ut *phyſicam*, quia puriſſimum ſangvinem miniſtravit, ex quo Chriſti Corpus formaretur; ſicut enim non ſolus artifex eſt cauſa aurei poculi, ſed etiam is, qui aurum donavit, ex quo poculum conflatum eſt: ità etiam illa cauſa Incarnationis, quæ materiam dedit. Ut cauſa verò *moralis*; quia noluit DEUS ex ea naſci, niſi illa conſentiente, & ideo miſſus eſt Archangelus, qui ejus voluntatem, votumque requireret, & obtineret, ut bene dixerit Guerricus

in-

in Cantica: Noluit carnem sumere ex ipsa, nisi dante ipsa. Ex hac verò dignitate Matris deducunt Patres, Ecclesia, Theologi omnia illa privilegia, quæ passim legere est: videlicet, *quòd plus dilecta à DEO, quàm omnes Sancti universim & collectivè sumpti: quòd solo DEO excepto cunctis superior existit: quòd tanta nituit puritate, qua major sub DEO nequeat intelligi: quòd sit immensa gratiarum abyssus: quòd quidquid gratiæ vel paucis mortalium collatum est, non fuerit tantæ Virgini negatum: quòd sinè peccato nata: quòd post partum Virgo: quòd in Cœlos etiam cum Corpore assumpta: quòd mensura privilegiorum Virginis sit potentia DEI:* (de quo videatur Suarez in *3. p. d. 21. Section. 5.*) *quòd omni peccato veniali caruerit: quodque DEUM sibi debitorem habeat, quia facta ejus Mater:* ità enim scribit S. Methodius Martyr. *Orat. de Purificatione.* Hæc, inquam omnia, cùm expresse in Sacris Literis non habeantur, non aliunde accepta, quàm ex ti-

tulo

tulo & dignitate Matris. Sicut enim si quis dicat aliquem esse Regem, quamvis nihil aliud adjungat, hoc ipso satis quoque dixit: esse potentem; esse divitem, esse deliciis, palatiis, militibus instructum. Sic Evangelium, cùm Mariam esse DEI Matrem dixit, omnia privilegia, beneficia & gratias complexum est, quæ puræ creaturæ concedi possunt. Id aliqua ratione exemplô Salomonici Templi illustrari potest. Nulla ab orbe condito pulchrior & opulentior moles, nec deinceps futura est. Idea & exemplar Templi non Vitruvii, non Phidiæ, sed ipsius DEI manu adumbratum & pictum: ducenta hominum millia operi adhibita: septem anni struendo impensi: omnia quæ ad Templum spectabant, pretiosa & eximia, marmora, jaspides, cedri, purpuræ, electrum, aurum, gemmæ: parietes, laquearia, aræ, oraculum, simulacra, columnæ omnia auro vestita: tota Templi supellex & instrumenta,

phi-

phialæ, thuribula, lampades ex purgatissimo auro; adeò ut Josephus aureorũ vasorum trecenta & triginta millia numeret: argenteorum millies mille, & decies mille: instrumentorum verò ex electro tria millia: expensæ in Templum factæ centum millia auri talenta; argenti verò millies mille. Quæ si ad nostratem monetam reducas, ex calculo Lorini [qui uni talento aureo Sanctuarii 5609. aureos, seu duplas Hispanicas tribuit) conficient supra quinquies millies decies & sexagies centena millia, hoc est: quinque millia sexaginta milliones Hispanicorum aureorum, totidemque milliones talentis argenti respondebunt, cùm minima portio auri ad argentum sit decupla. Quæ planè auri massa tanta est, ut fateantur Auctores, potuisse totum Templum ex solido auro fieri. Quòd si *quæras*, quo fine tot thesauri, tantaque vis auri, argentique impensa? Hanc unicam causam Salomon exponit: *Non enim homini, sed D E O habitatio præparatur.*

Tan-

Tanti ei videbatur Domum DEO adornari, ut nullum aurum, nullæ opes sufficerent.

Idem de Virgine dicas. Illa non in Templum tantùm, sed in Matrem DEO parabatur; quæ gratiæ, qui thesauri sufficerent tam eximio, immensoque operi? Planè quidquid in terra, quidquid in Cœlo, Deique scriniis est, invenies umbram esse tantæ dignitati comparatum. Quidquid ergo privilegiorum Mariæ collatum, id omne infra *Matrem* est. Si ergo *quæras*: cur sinè peccato nata? *quia Mater est*. Cur nulli peccato obnoxia? *quia Mater est*. Cur post partum Virgo, cur in Cœlos assumpta, cur ante omnes creaturas dilecta? *quia Mater est*. Ex hoc ergo Divi Thomæ principio ab omnibus Patribus, ipsaque Ecclesia, admisso ità licet argumentari: Maternitas est dignitas quasi infinita; ad eam ergo debuit Virgo disponi per gratiam non quidem absolutè (id enim impossibile est) sed aliquo modo infinitam, hoc est quantùm &

de-

deceat & non repugnet: at conceptam esse sinè peccato, & decet, & non repugnat. Decet; quia sicut nihil magis animam dedecet, quàm peccatum, ità nihil magis decet, quàm carere peccatô: id enim decere dicimus, quod convenit rationi; at quid magis rationi convenit, quàm non peccâsse? Aut quid decebit, si non decet innocentia? Decuit ergo; sed nec repugnat; quid enim repugnat Omnipotenti? aut quæ implicantia in hac propositione fingi potest: *Beata Virgo nunquam peccavit?* *Rursus* Sancti Pauli argumentum est: *Qui etiam pro nobis Filium suum dedit, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Cùm ergo Mariæ proprium Filium dederit DEUS; quid non deinceps donavit? Donavit thesaurum, & negavit teruntium? Aut falsa est Pauli consequentia, aut verum, quod dicimus.

XVIII. *Ratio 18.* Docet S. Thomas *2. 2. q. 106. a. 6.* gratitudinis officium esse, ut reddat *plura in recompensatione,*

aut

aut certè paria; qui ergo voluit esse Filius, voluit quoque non esse ingratus; non quòd DEO obligationem imponamus; sed quia non potest DEUS velle repugnantia, rectæque rationi adversa, quale esset, promittere, & promissis non stare; futura prædicere, & non implere; Filium esse, parentibus ingratum. Qui ergo voluit esse Filius, voluit quoque Matri non esse ingratus. Cùm ergo vitam à Matre acceperit infiniti pretii, debuit quoque gratiam infinitam rependere, hoc est, quanta non repugnat, & decet. At Matrem esse immaculatè & in gratia Conceptam, & non repugnat, & decet, ut suprà ostendimus; ergo id quoque Matri suæ dedit.

§. IX.

§. IX.

Refutantur, quæ contra Immaculatam Conceptionem ex SS. Scripturis producuntur.

SUMMARIA.

1. *Universalibus Scripturæ sententiis B. Virginem non comprehendi; imò nec comprehendi posse, probatur ex iisdem illis sententiis, quæ nobis opponuntur.*
2. *Cur B. Virgo excepta à communibus legibus & propositionibus S. Scripturæ.*
3. *In Beatissima Virgine non militare rationem legis, ob quam omnes posteri Adæ peccato originali subduntur.*

I.

MIrari nemo debet, si multa Immaculatæ Conceptioni ex Sacris Scripturis opponuntur; quid enim est verius certiusque articulis fidei? & tamen quid magis ex Scripturis impugnatur? Audiamus ergo, quid ex Scripturis opponant.

Opponitur *Primò*: Ex Epist. ad Roman. c. 3. *Omnes peccaverunt, & egent glo-*

gloriâ DEI. Et cap. 5. *Per unum hominem in hunc Mundum peccatum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Et ibid. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes in justificationem.* Ad Galat. 3. *Conclusit scriptura omnia sub peccato.* Eccles. 7. *Virum de mille unum inveni, mulierem autem ex omnibus non inveni.* Et Jobi 24. *Nemo mundus à sorde, neque infans, cujus est unius diei vita super terram.*

Resp. 1. Certum & indubitatum est, generalibus regulis & propositionibus S. Scripturæ non comprehendi B. Virginem: ità enim docet S. Augustinus *Serm. de Assumpt. B. Virg.* & *l.* 1. *de Natura & Gratia. c.* 36. Et clarissimè ipse Angelicus Doctor 3. *p. q.* 30 *a.* 2. *ad* 2. *Dicendum, quòd, sicut Augustinus dicit in Serm. de Assumpt. Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur? quia nec conceptus multiplicavit, nec sub viri, hoc est, mariti potestate fuit:* Idque evidenter probatur ex aliis S. Scripturæ locis. Illa

enim

enim verba Ecclesiastici c. 40. *Omnia, quæ de terra sunt, in terram revertentur.* Et illa Hieremiæ 6. & 8. *Omnes avaritiæ student.* Et ad Corinth. 1. *Omnes quærunt, quæ sua sunt*, non comprehendunt B. Virginem. Ex universalibus ergo Scripturæ locis non potest deduci consequentia ad Personam adeò eximiam, privilegiatã, & exemptam, qualis est B. Virgo.

Imò idipsum colligitur ex iis ipsis textibus, qui nobis objiciuntur. Nam S. Paulus illo ipso *cap. 3.* ad Romanos habet istas propositiones universales: *1. Omnis homo mendax. 2. Omnes sub peccato sunt. 3. Non est justus quisquam. 4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. 5. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Si universalitas istarum propositionum non complectitur B. Virginem, quare illa sola complectatur, quæ peccati originalis meminit? & si illæ toties repetitæ locum relinquũt exceptioni, & privilegio, quare non alia? cũ æquè & in ista & in illis Paulus universaliter loquatur? Nunquid dicit idem

Apo-

Apoſtolus ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Chriſto omnes vivificabuntur.* Et tamen certum eſt, non omnes de facto in Chriſto *vivificari*, parvulos videlicet, qui ſinè baptiſmo decedunt. Si ergo iſta Pauli propoſitio: *Omnes in Chriſto vivificabuntur*, vera eſt, quamvis tam multi excipiantur, quare non etiam iſta vera eſſe poſſit: *Omnes in Adam moriuntur*, quamvis una non moriatur? Si enim univerſalitati propoſitionum non obſtat exceptio multorum, multò minùs obſtabit exceptio unius. Patet ergo univerſales propoſitiones D. Pauli non includere omnia omnino individua; illud præſertim, quod, ut phraſi Juriſtarum loquar, *ſpeciali nota dignum eſt*, quodque tot & tam dignis rationibus excipi debet.

Dices: Ergo plures excipi poterunt à lege peccati originalis.

Reſp. 1. Certum eſt, omnes lege univerſali comprehendi, qui ſpeciali privilegio non eximuntur; an verò plures

res hoc privilegio donati sint, Ecclesiam latet, *quis enim novit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* temerarius tamen erit, qui sinè gravissimis rationibus, quales pro Virgine militant, hoc privilegium aliis attribuat; sicut temerarius sit, pœnaque dignus, qui sinè gravi ratione generales leges tributorum, aut jejuniorum subire nolit.

Resp. 2. S. Paulus seipsum explicat, non enim dicit absolutè *omnes peccâsse*, sed *omnes in Adam peccâsse, & naturâ filios iræ fuisse.* Id verò etiam de Beata Virgine verum esse potest: aliud enim est peccare in Adamo, aliud peccare in utero matris: demus verò in Adamo peccâsse, hoc est, peccante Adamo, & ipsam quoque, utpote Adami filiam, ream & obnoxiam hæreditario delicto fuisse, *debitrix* ergo fuerit ex culpa Parentis; sed non quærimus, an *debuerit*, sed an debitum *solverit*, cùm in utero Matris concepta est? & negamus solvisse, quippe Matrem, & ideo exemptam,

ptam, eo ferè modo, quo leges Civiles de Augusta loquuntur: *Princeps inquit Ulpianus*, *l. Princeps ff. de leg. legibus subditus non est, Augusta verò licèt sit subdita, Princeps tamen eadem privilegia ei concedit, quæ ipse habet.* Eodem modo, verum sit Beatam Virginem fuisse *naturâ filiam iræ;* at nos non quærimus, quid *ex natura sua fuerit*, sed quid *ex gratia, & privilegio DEI?*

Resp 3. Dictum verò Ecclesiastis continet figuram proverbialem, videlicet: multò facilius virum bonum, & prudentem, quàm fœminam reperiri; & planè ipse Salomon inter mille suas uxores & amicas, 700. videlicet Reginas, & 300. concubinas, id ipsum expertus est.

Resp. 4. Denique observa, quanta severitate cum Virgine agatur: cùm Paulus dicit *omnes peccasse*, volunt ab hac generali oratione Virginem non eximi; cùm verò Augustinus, aliique Patres à nobis suprà citati dicunt, B. Virginem *nullo prorsus peccato, nullâ o-*

mnino maculâ contactam esse, nolunt illā vocem universalem, *nullâ*, ad omnia extendi peccata; ac etiam originale. Ergo oratio universalis ex ipsorum sententia, cùm Virginem damnant, omnia comprehendit; cùm verò nos illam absolvimus, non comprehendit omnia.

II. *Oppones* 2. Cur excluditur B. Virgo, quam Scriptura non excipit? *Retorqueo*: Cur includitur B. Virgo, quam Scriptura non includit? Et ubi excipit Scriptura B. Virginem à lege peccati actualis, & corruptionis? num ideo actualiter peccavit, & post mortem corrupta est? planè si aliquid præter Scripturas dicendum est, æquius fuerit Dei Matrem præter Scripturas absolvere, quàm præter Scripturas damnare. *At Privilegium, & Exceptio probari debent.*

Resp. Jam probavimus gravissimis rationibus, & iisdem omnino quibus jam toti Ecclesiæ probatum, persuasumque est, esse post mortem incorruptam, esse peccati venialis expertem, esse

esse sinè peccato originali natam, & esse in Cœlos assumptam, cùm tamen nihil istorum Scriptura dicat. Sufficit esse Matrem DEI, ut intelligamus nihil ei desuisse, quod deceat tantam Matrem; sicut sufficit in Scriptura dici, *DEUM creâsse solem*, ut intelligamus nunquam soli radios, & lucem desuisse, quamvis id Scriptura expressè non dicat; quippe ut ait B. Anselmus: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub DEO nequeat intelligi.* Si etiam ut aliqua probetur privilegio esse legibus exempta sufficit constare, esse *Augustam*, ut suprà ostendimus ex Ulpiano.

Deinde, tunc probari debet Privilegium, quando constat legem ad omnes extendi, etiam specialissimâ notâ dignos: at non constat de lege peccati originalis; imò contrarium potiùs ostensum est, cùm respondimus ad Epistolas S. Pauli. Et ideo etiam leges humanæ statuunt, ut quando lex non est clara, omnino restringi debeat,

præsertim si sit odiosa; at de lege peccati originalis nec ex S. Paulo, nec aliunde clarè constat, etiam ad DEI Matrem proferri debere, imò contrarium potiùs; & verò quæ lex odiosa dici debet, si non illa peccati? Sic etiam iisdem legibus humanis cautum est, ut oratione & lege universali non intelligantur comprehendi, qui speciali notâ digni sunt, aut quæ verisimiliter Legislator includere non voluit, ut si omnibus gestatio armorum & purpuræ prohibeatur, non intelligitur filius, aut uxor Principis; & in obligatione generali non intelliguntur pignori subjecta, quæ quis verisimiliter excepisset; ut est elegans textus in *l. 6. ff. de Pignoribus*, *junctâ Glossâ*.

III. Ubi *nota*, ut quis lege universali eximatur, non requiri ab Imperatore, ut exemptionem, aut privilegium ostendat, sed solùm ut verisimile sit in lege generali comprehensum non esse, idque præcipuè militat pro B. Virgine, in qua, postquam semel in

DE-

DEI Matrem electa est, ratio legis cessabat, nullumque ampliùs locum ex multorum sententia habuit pactum cum Adamo initum; DEUS enim, *inquiunt*, justitiam originalem posterorum voluntati alligavit Protoparentis, ut videlicet, si ipse obediret, posteri in ejus gratiam & justitiam originalem jure hæreditario succederent; si non obediret, sinè illa nascerentur in pœnam Paternæ culpæ. Quod pactum æquissimum erat, & nemo ex posteris Adæ recusâsset, si tunc vixisset, suamque sententiam & consensum rogatus esset; quis enim non crederet, legem tam facilem ex una parte, & ex alia tam severis pœnis, ac morte sancitam à viro tam sancto, tam felici, tam prudenti, & tot corporis, animique dotibus ornato, violatum iri, unius pomi cupidine? & quis nostrûm non longè tutiorem se credidisset, re, Adamo tot partibus meliori, quàm sibi, commissa? Non ità in B. Virgine, cujus anima longè præstantior, DEO conjunctior, &

à peccato multò remotior fuit, quàm Adami; imò iste peccare potuit, ut experientia docuit; illa non potuit, quippe in gratia semper confirmata.

Non potuit ergo anima & innocentia Virginis illius arbitrio & custodiæ committi, qui multò infirmior erat, multoque periculo vicinior, quam ipsa Virgo: id enim perinde fuerit, ac si quis peritissimum Senatorum tutelæ committeret inexperti adolescentis, aut pretiosum adamantem non seris & ferro, sed arculæ vitreæ custodiendum includeret. Vitrum erat Adamus, adamas Virgo; quæ ergo ratio voluit, ut fortior committeretur debilioris custodiæ; utque non arbitrio suo staret, quod tamen vinci non poterat; & staret arbitrio alterius, qui & vinci poterat, & vincendus prævidebatur? Absit ergo tale pactum, & Virgini tam periculosum, & in quod nunquã ipsa consentiret; quî enim prudenter multò fragiliori se ipsam crederet, & voluntatem suam, quæ peccare non poterat,

cum

cùm alterius voluntate commutaret, qui poterat? Patet ergo, Beatissimam Virginem, postquam in DEI Matrem electa & destinata, iisque gratiis, & privilegiis donata est, quæ tantæ dignitati congruebant, fuisse pacto Adami, quo priùs includebatur, exemptam, & ità ut filiam quidem Adæ contraxisse debitum, sed ut DEI Matrem eo absolutam, sicque perfectissima ratione redemptam esse; ideo enim debito soluta est, quia à Christo in Matrem electa, gratiaque meritis suis quæsitâ, à lege peccati exempta.

§. X.

Respondetur ad Sanctos Patres.

SUMMARIA.

1. *Nihil ex Patribus præsertim S. Augustino, convinci, cùm dicunt, solum Christum conceptum esse sinè peccato originali.*
2. *Nihil quoque obstare, quòd S. Augustinus doceat, B. Virginem habuisse carnem peccati.*

3. *Ex morte B. Virginis nihil contra Immaculatam ejus Conceptionem probari.*
4. *Neque ex S. Anselmo.*
5. *Neque ex S. Bernardo.*
6. *Neque ex conficta revelatione S. Catharinæ Senensis.*

I.

OPponuntur *Primò* Patres, qui in genere docent, neminem à peccato originali liberum immunemque fuisse, præter solum Christum. Id aliquoties inculcat præsertim Augustinus.

Resp. Primò Augustinus in libris, quos contra Pelagium scripsit, ejus præsertim hæresin confutat, quòd videlicet parvuli sinè peccato ex parentibus baptizatis nascerētur; *si enim*, inquiebat Pelagius, *injustus injustum gignit, quare nō etiam justus justum generat, non peccat qui nascitur, non peccat qui condidit, per quam ergo rimam, inter tot præsidia innocentiæ peccatum ingreditur Mundum?* Hunc Pelagii errorem ubique confutat Augustinus, docetque in genere omnes

nasci cùm peccato originali: ubi verò de B. Virgine in particulari, & individuo loquitur (quod ter ab Augustino factum esse reperio) semper illam excipit; nam *Primò in lib. de Natura & Gratia c. 36* cùm Julianus ei objiceret: *Domini ac Salvatoris nostri Matrem sinè peccato confiteri, necesse est pietati.* Respondet Augustinus: *Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccato agitur, habere volo quæstionem (inde enim scimus, quòd plùs gratiæ ei collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum) Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas possemus interrogare, utrum essent sinè peccato, quid fuisse responsuros putamus? nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vides hic Augustinum repetitis, & enixis verbis excludere animam Virginis *ab omni prorsus peccato*; testarique, *eam vicisse omni*

ex parte peccatum; imò palam profiteri, lectoresque admonere, quoties & ubicunque, & de quovis peccato aut hactenus egerit, aut deinceps acturus sit, nullo modo se complecti velle animam Virginis. Quid potest clariùs dicere Augustinus? Et quamvis illic agat de peccatis actualibus, & venialibus, certum tamen est, agere etiam de peccato originali; *tum* quia Augustinus eam excipit *ex omni parte*, & *ab omni prorsus peccato*: *tum* quia præcipua concertatio cum Juliano erat de peccato originali: *tum* quia ratio Augustini æquè aut magis locum habet in peccato originali; illa videlicet: *Quia concepit, ac peperit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*: *tum* denique quia Augustinus pro certissima regula ponit, eum qui nunquam peccato veniali contaminatus est, etiam originali caruisse; ut docet *l. 5. contra Julianum c. 9. & 15.* cujus verba dedimus suprà §. 8. *num. 9. Secundò, Libro 4. contra Julianum*, cùm hic objiceret Augustino: *Tu*

ipsam

ipsam Mariam Diabolo nascendi conditione transcribis? *Respondet* Augustinus: *Non transcribimus Mariam Diabo conditione nascendi, sed quia ipsa conditio solvitur gratiâ renascendi.* Hic fatetur Augustinus, B. Virginem natam esse sinè peccato originali benefició gratiæ sanctificantis, quæ facit, ut homo semel natus ad vitam temporalem, iterum renascatur ad vitam æternam. *Tertiò, Libro 5. de Hæresibus fol. 15.* objicientibus Paganis & Judæis, *non esse dignum, ut tanta majestas per sordes, & squallores fœminæ transisse dicatur:* Augustinus ità Deum respondentem inducit: *Hanc, quam despicis Manichæe, Mater mea est, sed manu fabricata est mea. Unde sordes in domo ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus, & fabricator ejus venit.* At non solus ad eam DEUS venisset, si priùs per peccatum à Dæmone corrupta esset. Quando ergo Augustinus in particulari de B. Virgine loquitur, nunquam eam peccato originali subdit, sed potiùs eximit, ut diximus.

Resp. Secundò. S. Augustinus non tantũ dicit: *Solum Christum omni peccato originali*, verùm etiam *omni peccato veniali solum caruisse*, cùm tamen constet tam ex sensu Ecclesiæ, quàm etiam testimonio ipsius Augustini, quem paulò antè allegavimus, etiam B. Virginem nunquam venialiter peccâsse. Patet ergo Augustinum, cùm solum Christum excipit, non propterea voluisse Christi Matrem excludere. Augustinus ergo librô de fide ad Petrum: *Firmissimè* inquit, *tene, & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro Christi nomine suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hìc à malis suis fuerit per pœnitentiam, fidemque conversus.* Et c. 38. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, justos atque Sanctos homines, exceptis his, qui baptizati parvuli sunt, sinè peccato hìc minimè vivere posse*, idemque Augustinus repetit contra Julianum *lib. 5. cap. 9.* Quando ergo Augustinus solum Christum à peccato excipit, certum est, non propterea Matrem

Chri-

Christi exclusisse. Imò idem Augustinus in *Ench. cap 6.* apertè scribit: *Nullo excepto parvulos nasci cum peccato originali*; cùm tamen certum sit, B. Virginem, imò & Joannem Baptistam sinè peccato originali natos esse. Et *l. 1. de Nupt. & Concup. Quando Christus in carne nasci est dignatus, solus sinè peccato est natus.*

Quodque plus est, affirmat Augustinus *Epist. ad Optatum de Orig. Animar. Neminem nasci ex Adam, nisi vinculô delicti & damnationis obstrictum, neminemque indè liberari, nisi renascendo per Christum, tam inconcussè tenere debemus, ut sciamus eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem pertinere*; idéque habet *in l. Hypognosticon cōtra secundā blasphemiā Pelagianorum.* At si Augustinus in hac universali oratione etiam B. Virginem includat, certum est, Augustinum errare, cùm ex Concil. Tridentino, Bullis Pontificum, sensuque totius Ecclesiæ sententia, quæ eximit B Virginem, non sit hæretica, sed pia, fideliumque universali con-

sen-

ſenſui, & voto ſubnixa. Aut ergo in hoc argumento errat Auguſtinus (& quam tu fidem adhibeas teſti palàm erranti?] aut Auguſtinus in illis univerſalibus propoſitionibus nullo modo involvit Beatam Virginem. Eodem modo S. Gregorius in *l. 15. Moral. c. 17.* ſcribit: *Solum Chriſtum veraciter Sanctum eſſe natum, qui commixtione carnalis copulæ non eſt conceptus*; & tamen conſtat etiam B. Virginem *veraciter Sanctam eſſe natam.*

Reſp. Tertiò. Negabant Pelagiani, filios fidelium Parentum cum peccato originali naſci: contra hos ſcribit Auguſtinus, & ideo ab hac communi lege Deiparam conſultò non excipit, nè illi acciperent anſam cavillandi, dicendique, illam ergo legem non eſſe univerſalem. Nec mirum eſt, non ſpectâſſe Auguſtinum, alioſque Patres ad Virginis exemptionem, cùm de hoc articulo controverſia nulla eſſet, nec expediret tunc temporis nova & do-

mestica, nec necessaria bella excitare, pugna cum Hæreticis flagrante.

Resp. Quartò. Et demus Augustinum, aliosque Patres tunc temporis non credidisse Virginem ab originali servatam esse, id planè mirum non est, quippe hoc mysterio nondum exposito, neque iis rationibus probato, quæ meritò animum convincerent; necdum enim discussum fuerat: non Patres, non revelationes, non miracula, non scholæ, non consensus totius Ecclesiæ, non solenne festum pro Virginis innocentia stabant; hæc postea accessere; quid ergo mirum est, non reperisse, nec vidisse Augustinum, quæ & latebant nec quærebantur? Quàm multa nunc credimus, utpote ab Ecclesia recepta & definita, quæ præteritis sæculis aut ignota, aut dubia? qualia sunt de Purgatorio, de Libris Canonicis, de Processione Spiritûs Sancti, de Assumptione, & immunitate Virginis ab omni peccato veniali? &c. Si ergo nunc viveret, Augustinus,

nus, & videret quæ nos videmus, crederet ipſe quoque, quæ nos credimus; nam & colores accenſo lumine videmus, qui necdum accenſo latebant; & ſtultus eſſet, qui exorto ſole negaret, ſe arborem videre, quia illam non videbat ſole necdum progreſſo.

Reſp. Quintò. Quando ergo Auguſtinus, aliique Patres ſolum Chriſtum à peccato originali excipiunt, eo modo loquuntur, quo Eccleſia, ipſæque Sacræ Scripturæ cùm dicunt: *Chriſtum ſolũ eſſe Sanctũ, ſolũ Dominũ, ſolũ Bonũ, ſolũ Magiſtrum: illi ſoli honorem & gloriam deberi:* non quòd alii non ſint etiam ſancti, boni, magiſtri; ſed quia quidquid ſanctitatis & bonitatis habent, à DEO habent. Sic Chriſtus ſolus caruit peccato originali, non quòd etiam B. Virgo nõ eo caruerit, ſed quia Chriſtus caruit jure proprio & ſuo; Beata Virgo caruit ex meritis Chriſti, & privilegio, & ità jure alieno.

Duplex ergo quæſtio formari poteſt de peccato originali B. Virginis. *Pri-*

ma;

ma est quæstio *generalis*, videlicet: *An omnes contrahant peccatum originale?* Ad hanc quæstionem generalem generaliter *respondet* Augustinus: *Omnes contrahere, solo Christo excepto.* *Alia* est quæstio *particularis*, & individua, videlicet: An etiam B. Virgo peccato originali infecta fuerit? *Respondet* Augustinus in *l. de Natura & Gratia. c. 36. Excipio B. Virginem, de qua nullam prorsus haberi quæstionem volo, quoties de peccato agitur, quia vicit omni ex parte peccatum.* Quoties ergo Augustinus de peccatis agit, excipi illa debet, quam Augustinus tam anxiè, diserteque protestatur semper pro excepta habendam esse. Quando ergo Augustinus dicit, *l. 2. de Baptis. Parvulorum: Non est in filiis hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo unquam peccato fuerit obstrictus.* Subjunge: *Exceptâ B. Mariâ, de qua propter honorem, Domini, cùm de peccatis agimus, nullam prorsus quæstionem habere volumus.* Et cùm iterum repetit *lib. de Natur. & Grat. c. 41. Planè quod commemoravi: Per unum*

homi-

hominem peccatum intravit in Mundum, & antiquos sacerdotes, & nos, & posteros nostros sententia ista complectitur. Tu iterum adde: *Exceptâ Beatâ Mariâ, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Et cùm in Enchiridio c. 6. *Nullo*, inquit, *excepto, parvuli nascendo peccatum traxerunt.* Tu iterum, iterumque ex eodem Augustino protestare: *Exceptâ B. Mariâ, cui plus gratiæ collatum fuit ad vicendum ex omni parte peccatum.* Hæc ergo exceptio Augustini ubique locorum subintelligenda est, cùm dicit, solo Christo excepto, omnes peccato originali subditos fuisse.

Cur ergo Augustinus *solum Christum excipit, si æquè ejus Mater excipienda est? Retorqueo:* Cur ergo Augustinus, cùm de peccato originali agit, tot alios memorat, nunquam B. Virginem? cùm tamen id maximè causæ Augustini opportunum fuerit, nam & istâ peccato originali corruptâ, nulla ampliùs Pelagio ratio supererat alios, præci-

pu-

pueque filios Patriarcharum excipiendi. *Deinde* ideo Augustinus Deiparam specialiter, nominatimque non excipit, quia jam semel pro semper exceperat, cùm dixit: *Quando de peccatis agitur, nullam prorsus de ea quæstionem haberi velle, quæ omni ex parte peccatum vicerat:* *Rursus* quia de Christo constabat, sinè peccato conceptum esse, non verò ità certò de B. Virgine; istam silentiô præterit, contentus Christum excipere; præsertim nè Pelagio locus cavillandi daretur, tot alios à peccato eximenti. *Denique* & principaliter, quia revera etiam B. Virgo in primo conceptu Corporis contraxit peccatum originale, non quidem quo ad culpam, & privationem gratiæ (cujus sola anima capax est) sed quoad qualitaté morbidam & infectivam; hoc est, quoad vim, quantùm in se est, inquinandi animam, reddendique DEO odiosam, & gratiæ extorrem, quàm primùm animæ unieretur, nisi speciali privilegio à solvendo

pec-

peccati tributo exempta est. Peccatum enim originale corripuit non tantùm animam, sed etiam corpus hominis, quod propterea à SS. Patribus vocatur, *Caro peccati*, & *Terra maledicta*; quamvis principaliter, hoc est, quoad primarium effectum suum, animæ inhæreat. Eo ferè modo, quo in homine venenato venenum quidem toto corpore diffunditur, in eoque varia & mira symptomata producit; primarium tamen suum effectum, hoc est, mortem in corde solo (ubi est sedes vitæ) extincto vitali calore operatur. Patres ergo intelligendi sunt de conceptu corporis, cùm dicunt B. Virginem in peccato originali esse conceptam (ut fusiùs videbimus Paragrapho sequenti, cùm respondebitur ad S. Thomæ auctoritatem, & testimonia) non verò de Conceptione animæ, cùm videlicet corpus animam à DEO recipit.

II. *Objicitur* 2. Ex eodem Augustino *c. 10. super Genesin ad literam: Corpus Christi quamvis ex carne fœminæ conceptum,*

ptum, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat; tamen quia non in ea sic conceptum fuerat, quomodo fuerat illa concepta, ideo ipsum non fuerat caro peccati. En Augustinus loquitur in specie de B. Virgine, & hanc dicit fuisse *carnem peccati*, non verò Christum, quia iste non fuerat ex maritali complexu procreatus, ut illa.

Resp. Aliud est, B. Virginem habuisse carnem peccati, aliud ejus animam in peccato conceptam esse; peccatum enim in anima est, non in carne. Beatissima ergo Virgo habuit carnem peccati, quia ejus caro ex concubitu processit, & formata est, in quo, teste Augustino, peccatum est, videlicet voluptas, & concupiscentia (quæ si non semper in conjugibus peccata sunt, sunt tamen effectus peccati originalis) non ità Caro, & Corpus Christi.

III. *Objicitur 3.* S. Augustinus in Psalm. 34. dicit: *Maria ex Adamo mortua est propter Peccatum.*

Resp. Utique B. Virgo ex Adamo

fu-

fuit, & propter Adami peccatum mortua. Si enim Adam non peccâsset, nec ipsa, nec ullus hominum mortem obiret. Sed non ex hoc sequitur, originali peccato correptam fuisse; sunt enim aliquæ pœnæ ex peccato Adami consecutæ, quæ nec ullam malitiam, nec ullam indecentiam moralem complectuntur; tales sunt defatigatio, somnus, persecutiones, mors &c. & istæ quamvis sint effectus peccati originalis, manent tamen etiam in iis, qui peccatum originale non contraxerunt; quales sunt Christus, & B. Virgo; cùm, ut dixi, non sint mala propriè dicta, sed potiùs materia virtutum. Ex hactenus dictis patet, quid responderi debeat non tantùm ad Augustini, sed etiam aliorum Patrum propositiones universales.

IV *Objicitur 4.* S. Anselmus non solùm universaliter in multis locis negat, aliquem peccato originali caruisse, Christô exceptô, verùm etiam in specie affirmat, Beatissimam Virginem fu-

fuisse eo peccato infectam. Sic enim in libro: *Cur DEUS homo*, loquitur *l. 2. c. 16. Licèt ipsa Christi Conceptio munda sit, Virgo tamen ipsa, unde assumpta est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato est nata, quoniam in Adam omnes peccaverunt.*

Respondetur: Mala fide citari Anselmum; non enim sunt hæc ejus verba, sed Bosonis discipuli Anselmum interrogantis. *At Anselmus non corripit, nec refellit discipulum.* Id quidem verum; sed ideo ad hunc discipuli errorem nihil Anselmus respondit, quia non de Conceptu Virginis agebatur; sed utrùm Christus cum peccato natus sit? Ad quam quæstionem respondet Anselmus: *Postquam constat illum hominem esse DEUM, & peccatorum Reconciliatorem, dubium non est, eum sinè peccato esse.* Sicque Anselmus toto illo capite abstrahens à quæstione de Innocentia originali Virginis, solùm dicit: Christum ex munda Virgine natum, &

con-

conceptum, & ideo nullo peccato fuisse inquinatum. Alioquin si hoc argumentum aliquid probaret, sequeretur Virginem etiam in peccato originali natam esse; nam & hoc Boso proposuit, nec Anselmus correxit, quippe totus in alia quæstione versabatur. Aut ergo Anselmus errat? aut non errat? Si errat? quid probari potest ex teste errante! Si non errat? ergo verum erit (& tamen absurdissimum est omnium consensu) Beatam Virginem in peccato non solùm conceptam, sed & natam esse; utrumque enim Boso dicit, & utrumque Anselmus silentiô premit, insolutumque relinquit. *Deinde* certum est, Bosonem loqui non de Conceptu animæ, sed de Conceptu corporis; ea enim verba: *In peccatis concepit eam mater ejus*, de Conceptu animæ intelligi non possunt; mater enim non generat animam, nec aliud circa illam facit. Sed quidquid sit de Anselmi sensu, loco citato, dubitari vix potest, eum pro Immacula-

ta Conceptione stetisse, idque certissimum redditur testimoniô Concilii Cantuariensis, quod celebratũ est Anno 1320. quodque rationem reddens Festi Immaculatæ Conceptionis hæc habet: *Quia inter omnes Sanctos memoria Beatæ Virginis eò frequentiùs agitur, atque festivius, quò majorem gratiam apud DEUM creditur invenisse;* B. Anselmus &c. &c. Baronius quoque in notis ad 8. Decemb. *Habemus rei gestæ* (hoc est revelationis Abbatis Helvini) *historiam in antiquo codice M. S. ex quibus satis compertum habetur ejusmodi celebritatem* (Immaculatæ videlicet Conceptionis) *in Anglia primò celebrari cœptam, eidemque favisse B. Anselmum.*

V. *Objicitur* 5. Beatus Bernardus *Serm. de Assumptione*, cujus initium est, *Intravit*: *Quòd si originalem maculam à Parentibus traxit, sed minùs à Jeremia sanctificatam in utero credere prohibet pietas Christiana; hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cùm omnimodò constet ab originali contagio solâ gratiâ munda-*

datam esse Mariam; quippe & nunc in baptismate sola hanc maculam lavat gratia &c. *omnino pium est credere, proprium delictum Mariam non habuisse.* Et in celebri Epistola ad Lugdunenses 174. ubi cùm multis improbasset festum de Immaculata Conceptione in Ecclesia Lugdunensi celebrari cœptum, hæc verba adjunxit: *Solus Dominus Jesus de Spiritu S. conceptus est; quia solus, & ante conceptum Sanctus. Quo excepto, omnes de cætero ex Adam natos respexit, quod unus de ipso humiliter & veraciter confitetur: Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Resp. 1 Certum est, S. Bernardum in citata Epistola loqui de solo, & primo conceptu hominis, seu potiùs corporis inanimati, cùm videlicet in materno utero parentum sanguis commiscetur, & primæ fibræ ducuntur humani fœtûs; non verò de secundo hominis animati conceptu, cùm post 40. aut 80. dies anima infunditur corpori jam plenè formato; & nos tantùm de

hoc

hoc ſecundo conceptu loquimur, dicimuſque, animam Virginis in hunc Mundum veniſſe gratiâ ornatam, ideoque omnis peccati expertem. At Bernardus de primo tantùm conceptu loquitur, idque evidentiſſimum eſt ex tota ferè illa Epiſtola. *Unde*, inquit, *conceptioni ſanctitas? An dicitur ſanctificatione præventa, quatenus jam ſancta conciperetur? ſed non valuit antè ſancta eſſe; ſiquidem non erat, antequam conciperetur. An fortè inter amplexus maritales ſanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit, ut ſimul & ſanctificata fuerit, & concepta? nè hoc quidem admittit ratio. Quomodo enim ſanctitas abſque Spiritu ſanctificante? aut Sancto Spiritui ſocietas cum peccato fuit? aut certè peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Si igitur ante conceptum ſui ſanctificari non potuit, quoniam non erat; ſed nec in ipſo quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; reſtat, ut poſt conceptum in utero jam exſtens ſanctificationem accepiſſe credatur, quæ excluſo peccato ſanctam fecerit Nativitatem, non tamen & Conceptionem.*

Vides hic Bernardum ſemper loqui de prima prolis conceptione, in qua ſunt amplexus maritales, libido, peccatum &c. Hanc ergo primam conceptionem negat Bernardus potuiſſe eſſe ſanctam: de ſecunda nè verbô quidem meminit.

Reſp. 2. Imò ex hac ipſa Epiſtola evidenter oſtendi poteſt Beatæ Virginis Immaculatus Conceptus ex Bernardi ſententia. Nam primò: *Hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decantare; ego verò, quod ab illa accepi, ſecurus & teneo & trado. Accepi ſanè ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, & Cælis quoque intulit celebritatem gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia, indubitanter habere feſtivum atque ſanctum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens, in utero eam accepiſſe, ut Sancta prodiret.* Si ergo Bernardus nunc viveret, audiretque totâ Eccleſiâ Immaculatam Conceptionem celebrari, ut olim feſtum, & memoria Aſſumptionis

onis celebrabatur, nonne iterum diceret, scriberetque. *Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare.* Et si illi litem moveres de innocentia Virginis, nonne intrepidus responderet, quod olim respondit: *Ego verò, quod ab Ecclesia accepi, securus & teneo & trado.* Et si tota Bernardi ratio, ob quã Festũ Nativitatis celebrat, ea fuit: *Quòd didicisset in Ecclesia ortum Virginis habere festivum;* nunquid hæc ipsa ratio eum permoveret ad Festum Conceptionis festivo cultu peragendum, diceretque causam postulanti: *Quia didici in Ecclesia Conceptum Virginis festivum habere?*

Deinde Bernardus eam Epistolam hoc fine, & epiphonemate clausit: *Quæ autem dixi, Romanæ Ecclesiæ auctoritati & examini totum hoc reservo; ipsius, si quid aliter sapio, judicio paratus emendare.* Si ergo jam Bernardus inter mortales degeret, & Ecclesiæ Romanæ de illibato Virginis Conceptu diplomata, exempla, festa, conciones,

ſententiamque audiret, nonne opinionem ſuam, *ſi aliquando aliter ſapuit, emendaret*? & qui priùs feſtū hoc damnabat, jam cum Eccleſia Romana reciperet? qui dicebat peccato originali maculatam, jam cum Eccleſia Romana & diceret & cantaret: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*? quique prius ſententiā, quæ Virgini favet, *ſuperſtitioſam*, nunc exemplo Romanæ Eccleſiæ emendatus, *piam* appellaret? Planè hæc faceret, ſcriberetque Bernardus, aut fallaci illa proteſtatione lectores decepit, quod procul à Bernardi candore. Aut ergo fallax Bernardus, aut noſter eſt. Sed plura de Bernardi ſententia jam ſuperioribus paragraphis dixi, cùm Sanctos Patres, qui nobiſcum ſentiunt, exhiberem.

VI. *Objicitur 6.* Sanctæ Catharinæ Senenſi revelatum eſt, Beatiſſimam Virginem fuiſſe in peccato originali conceptam. Verba hujus Sanctæ Virginis ſunt *Oratione 16* quæ incipit: *Deitas æterna. Datum eſt nobis Verbum æter-*

num

num per manum Mariæ, & de substantia Materna induit naturam absque peccati originalis macula; quia non hominis, sed Spiritûs S. gratiâ facta est illa Conceptio. Quod quidem non fuit sic in Maria, quia non processit ex massa Adæ operatione Spiritûs Sancti, sed hominis; & quia tota illa massa erat putrida, non potuit nisi in putridam naturam anima illa infundi. Sed post Conceptionem ejus statim fuit ab illo peccato originali mundata &c.

Respondetur. Nulla extat revelatio S. Catharinæ facta, sed solùm orationes, quas in extasi proferebat. Multò minùs aliqua hujus Sanctæ oratio ostendi potest, quæ ab Ecclesia fuerit approbata, ut post longum maturumque examen approbatæ sunt Revelationes S. Brigittæ. *Deinde* inscriptio citatæ orationis ostendit, eam fuisse factam Anno 1377. dum hæc Sancta Romæ versaretur; at certum est S. Catharinam Romam non venisse, nisi ab Urbano VI. vocatam; hic verò electus non fuit, nisi Anno 1378. Quomo-

do ergo B. Catharina Romæ orationem habuit, cùm Romæ non esset? Vide Petrum de Alva *Signo 2. Radio 36. fol. 503.* qui multis docet, hanc revelationem confictam fuisse à Vincentio Bandello de Castronovo: & planè illa verba S. Catharinæ: *Cujus quidem gratiæ non est subjectum susceptibile corpus, sed spiritus rationalis, aut intellectualis*: hæc inquam verba non sapiunt extasin, aut idioma Cœleste, sed Philosophicum, & in scholis haustum.

Sed demus, esse Catharinæ verba; aliud tamē est Oratio, aliud Revelatio. Oratio enim est hominis, & ideo falsa esse potest: Revelatio est DEI, & ideo expers erroris. Orat ergo Catharina, non DEUS ei aliquid revelat, cùm ea verba profert. Nec ullum exemplum reperies in Sacris literis, aut aliis Ecclesiæ monumentis, DEUM hominis jam vitâ functi peccata in particulari revelâsse; cur ergo revelaret peccata Matris occulta, solique DEO nota? Nec Magdalenæ peccata in particu-

lari, nec Latronis vulgavit, & vulgaret, delicta Matris? Nullum est ergo testimonium Catharinæ, quippe aut falsum, aut falsi maximè suspectum; aut si demus, verum esse, nihil convincit.

Omitto alios Patres citare, ad quos eodem modo, quo ad jam citatos responderi potest.

§. XI.

Respondetur ad S. Thomæ Auctoritatem.

SUMMARIA.

1. *Proponuntur quindecim Auctoritates D. Thomæ, in quibus videtur Illibatæ Conceptioni adversari.*
2. *S. Thomam, ubi agit de Immaculata Conceptione, corruptum esse, gravissimis indiciis probatur.*
3. *Ipsi Patres Dominicani sæpius fatentur, libros S. Thomæ fuisse dolô vitiatos: idque quatuor exemplis ex ipso S. Doctore petitis in hac ipsa causa demonstratur.*

4. S. Thomam more omnium ferè Patrum loqui de Conceptione carnis, non animæ.
5. Imò ex principiis S. Thomæ certissimum esse, si nunc viveret, pro Immaculato Conceptu pronuntiaturum.
6. Ad singulas S. Thomæ Auctoritates respondetur: ac præsertim 4. argumentis ostenditur, locum S. Thomæ ex 3. Sentent. d. 3. a. 1. corruptum esse.
7. Peroratio Auctoris.

I.

OPponitur 1. S. Thomas in 3. Sent. d. 3. a. 1. ubi: *Virgo Beata in originali peccato fuit Concepta: propterea Bernardus ad Lugdunenses scribit: Conceptionem ejus celebrandam non esse, quamvis in quibusdam Ecclesiis ex devotione celebretur, non considerando Conceptionem, sed potiùs Sanctificationem, quæ quando determinatè fuerit, incertum est.*

Secundò In eodem articulo: *Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia nondum gratiæ capax erat. Sed nec in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infu-*

sam præservaretur, ne culpam originalem incurreret. Nam Christus hoc singulariter in humano genere habuit, ut Redemptione non indigeret, quia Caput nostrum est, sed aliis omnibus convenit redimi per ipsum: hoc autē esse non posset, si aliqua alia anima inveniretur, quæ nunquam peccati maculâ infecta fuisset; & ideo nec B. Virgini, nec alicui Sanctorum hoc concessum est, præterquam Christo.

Tertiò. Ibidem a. 2. *Duplex sanctificatio Virginis fuisse dignoscitur: Prima, quæ in utero sanctificata fuit. Secunda in Conceptione fuit Salvatoris. In prima, ut communiter ab omnibus tenetur, ab originali fuit purgata peccato, quantùm ad reatum, & maculam Personæ.*

Quartò. Et ibidem: *Esse sinò peccato, dicitur esse proprium Christo, quia nec originali, nec actuali peccato fuit unquam infectus. Virgo autem Mater ejus fuit quidem peccato originali infecta, à quo, antequam nasceretur, fuit mundata; sed ab actuali peccato omninò fuit immunis.*

Quintò. Et 3. p. q. 27. a 2. *Sanctificatio Beatæ Virginis non potest intelligi*

ante animationem; nec in instanti animationis, sed post animationem; aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, & per consequens non induguisset Redemptione facta per Christum. Et ibidem Respons. ad 2. *Si anima B. Virginis nunquam fuisset peccati originalis contagio infecta, hoc derogaret dignitati Christi, secundùm quam est omnium hominum Salvator. . . . Christus non contraxit peccatum originale, sed B. Virgo contraxit quidem peccatum originale, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur.*

Sextò. Et ibid. Respons. ad 4. *Licèt Parentes B. Virginis fuerint mundati à peccato originali, nihilominus tamen Beata Virgo ex ipsis genita originale peccatum contraxit, quia fuit concepta per carnis concupiscentiam.*

Septimò. Quodlib. 6. q. 4. a. 7. *Sic autem processit Beata Virgo ab Adam, sicut & cæteri, & ideo concepta fuit cum peccato originali, & includitur in universitate eorum de quibus Apostolus: In quo omnes peccaverunt; à qua universitate solus excipitur*

Chri-

Christus, qui in Adam non fuit secundùm seminalem rationem; alioquin si hoc alteri conveniret, quàm Christo, non indigeret redemptione facta per Christum. . . . Quamvis autem Beata Virgo concepta fuerit in peccato originali, creditur tamen in utero sanctificata, antequam nata.

Octavò. In 4. Sent. d. 43. q. 1. a. 4. ad 3. *Erroneum est dicere, quòd aliquis sinè peccato originali concipiatur, præter Christum, quia talis non indigeret redemptione, quæ facta est per Christum, & sic Christus non erit omnium hominum Redemptor; & ideo non potest sinè errore poni, quòd aliquis sinè peccato concipiatur. Nec potest dici, quòd hac redemptione non indiguerunt, quia præstitum fuit eis, ut sinè peccato conciperetur; quia illa gratia facta est parentibus, ut in eis sanaretur vitium naturæ, quo manente sinè peccato originali nasci non possent. Oportet autem ponere, quòd quilibet personaliter indigeat redemptione Christi, non autem solùm ratione naturæ; liberari autem à malo, vel à debito absolvi non potest nisi qui debitum incurrit, vel in malum dejectus est;*

&

& ità non possent omnes fructum Redemptionis Divinæ in se ipsis percipere, nisi omnes debitores nascantur, malo subjecti.

Nonò. Et in 1. 2. q. 81. a. 3. *Secundùm fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines præter solum Christum ex Adam derivati peccatum originale contrahunt, alioquin redemptione non indigerent, quæ est facta per Christum; quod est erroneum.*

Decimò. Et in Compendio Theologiæ c. 231. *Nec solùm Beata Virgo à peccato actuali immunis fuit, sed etiam à peccato originali speciali privilegio mundata. Oportuit siquidem, ut cum peccato originali conciperetur: quia si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christũ redimi; est ergo tenendũ, quòd cùm peccato originali concepta sit, sed ab eo quodam speciali modo purgata.*

Undecimò. In Expositione Salutationis Angelicæ: *Christus excessit B. Virginem in hoc, quòd sine peccato originali conceptus & natus est; Beata autem Virgo in originali peccato concepta fuit, sed non nata.*

Duodecimò. Et in quæstionibus de

Ma-

Malo. q. 4. a. 6. *Erroneum est dicere, quòd aliquis seminaliter ab Adam derivetur absque peccato originali, sic enim aliqui homines essent, qui non indigerent gratiâ Christi.*

Decimò tertiò. In Psalm 13. ad ea verba: Non est qui faciat bonum: *Christus solus nec peccatum contractum habuit nec commissum; Beata Virgo habuit contractum peccatum.*

Decimò quartò. Et in Apocalipsi, cap. 7. *Beata Virgo nullum peccatum actuale commisit, tamen originale habuit, à quo ante ortum sanctificatata fuit, & ità non fuit omni tempore sinè omni peccato.*

Decimò quintò Et in 3. p. q. 14. a. 3. ad 1. *Caro Virginis concepta fuit in peccato originali & ideo hos defectus contraxit; sed Christus naturam assumpsit ex Virgine absque culpa.*

II. *Resp* 1. Hæc sunt, quæ nobis ex S. Thoma oponuntur ad onerandam Virginis causam, quæque tam clara aliquibus visa sunt, ut mallent Cœli Reginam criminis accusare, quã S. Thomam erroris; perinde ac si plus esset

istum

illum errâsse, quâm illam peccâsse. Et tamen si alterutrum dicendum sit, longè minùs malum, si S. Thomas erravit, quàm si Virgo deliquit. Compara Doctorem cum Deipara, ignorantiam cum culpa, discipulum cum filio, & judica, satiùs ne sit Doctorem à Discipulo ignorantiæ, an Deiparam à filio culpæ dānari? Adde Angelicum Doctorem sæpius, multisque locis, ut suprà ostendimus, pro Virginis innocentia stare. Si ergo alibi Immaculatam, alibi verò maculatam agnoscit; cur non potiùs illius sententiæ accedis, cùm Virgini favet, quàm cùm adversatur? an verò majori fide dignus est, cùm Virginem damnat, quàm cùm absolvit? Potes Thomæ Discipulus esse, sive peccatricem, sive innocentem dicas; cum eo tamen discrimine, ut si dicas peccatricem, soli Thomæ, non Virgini faveas; si verò asseras innocentem, utrique & Thomæ, & Virgini servias. Cur ergo malis cum Thoma contra Virginem, quàm cum Thoma, & pro-

Vir-

Virgine ſtare, ſicque non de uno tantùm, ſed de utroque bene mereri?

Cæterùm quia hic non tantùm Virgini noſtræ, ſed etiam Angelico Doctori purgando laboramus; ideo videndum eſt, quid ad illius producta teſtimonia reſpondendum ſit.

Et quidem dico, graviſſimis indiciis probari poſſe Sancti Doctoris de Conceptione Immaculata ſententias corruptas fuiſſe (innoxio ſemper tamen Sacro Prædicatorum Ordine) proindeque nullam fidem mereri; nam neque in humanis judiciis, quando de domo, aut agro lis vertitur, inſtrumentis creditur, quæ cõſtat ſæpius, multiſque in locis vel aucta, vel minuta eſſe; quantò ergo minùs, ubi agitur de condemnanda aut abſolvenda Virgine, deque ejus aut vita aut morte (nulla enim pejor mors, quàm peccati, quo anima perit) inſtrumentis credendum toties violatis, corruptiſque? Corrupta autem eſſe ex ſequentibus patebit; nam.

1. Certum est, multis & maximis fraudibus impugnandæ Immaculatæ Conceptioni ab aliquibus (quos ipse sacer Ordo Prædicatorum semper detestatus est] laboratum esse, videlicet: Conficta miracula, subornatæ revelationes, simulatæ Angelorum & Deiparæ apparitiones, incisa dormientibus stigmata imitatione B. Francisci, voces occultis parietibus velut è nubibus missæ, & alia, quæ vulgata & prodita sunt apud Spondanum ad Annum 1508. Surium in Chronico ad Annum 1509. ubi agunt de historia Bernensi. Videri quoque potest Lucas Waddingus in sua legatione ad Paulum V.

2. Libros quod attinet, quibus Immaculata Conceptio defendebatur, Anno 1553. scripsit Arnoldus Albertinus Episcopus Pacensis, & Inquisitor librũ de Hæreticis, qui sæpius typis mandatus est, & tandem in Romana editione tota quæstio 17. è medio sublata, quæ Virgini favebat. Idemque contigit

Sanctio à Porta Magistro Sacri Palatii, in cujus Mariali editionis Venetæ Sermo de Conceptione expunctus, qui in editione Lugdunensi visebatur. Sic in Fasciculo Temporum Wernheri de Làér Carthusiani Sexta Mundi ætate ad Annum 1354. editionis Venetæ omissa est historia Pauli Lectoris subita morte extincti, dum contra Immaculatam Conceptionem ex suggestu declamare parat; quæ tamen in aliis editionibus Parisiensibus legitur. Sic in historia Longobardica Jacobi de Voragine Episcopi Januensis, in novem editionibus habetur Legenda (ut illic vocant] insignis & luculenta, multisque miraculis pro Immaculata Conceptione ornata, quam totam Claudius de Rota in sua editione Lugdunensi erasam voluit, reliquis intactis.

Robertus Holcot in celebri suo Commentario super libris Sapientiæ *Lect.* 58. hæc habet: *Vera Conceptio B. Virginis sumitur penes instans infusionis animæ in corpus sufficienter organizatum, nec non omni*

mni qualitate morbida, quam contraxerat ratione propagationis seminalis, purgatum: & sic patet, quòd ità accipiendo nomen Conceptionis strictè & propriè, B. Virgo non fuit concepta in peccato originali &c. Hæc omnia verba habentur non solùm in antiquis MM. SS. verum etiam in editionibus Basileensi Anno 1489. & 1506. & 1586. Parisiensi Anno 1511. & 1514. & 1518. Spirensi 1483. Veneta 1500 & 1586. & 1483. & 1515. Hagenauensi 1494. Et tamen aliqui omnia hæc verba omittunt, quippe Immaculatæ Conceptioni apertè faventia.

Ambrosius Catharinus *l. 1.* Annotationum in Cajetanum, hunc (alias Virum eruditissimum) erroris redarguens: *Certè*, inquit, *turpe & illiberale est non ex fide citari Auctores: quod eò magis mirum, quòd hunc librum ad Pontificem* (Leonem X) *scripsit*. Et in libro de Conceptione ad Concilium Tridentinum p. 1. *Non autem existimo Cajetanum hunc locum Ambrosii fallendi animo citasse, quin potiùs ipse falsus recitavit bona fide, eo pacto, quo ab ali-*

is,

is, qui contentiosè scripserunt, citatum reperit. Idemque Catharinus *Opusc. de Immaculata Conceptione l. 1.* propè initium: *Fateor primo anno Professionis meæ, cùm paulò curiosior in hujus rei disquisitione essem, incidi in quorundam Tractatus, quos ut legi, facilè, fateor, sedductus sum; nam tot ac tanta congesserunt, ut eam, quam nunc arbitror veritatem, plenè blasphemiam existimarem; non enim tunc bene callebam, nec deprehenderam citationes falsas &c.*

Testimonium verò Ambrosii, quod corruptum fuisse conqueritur Catharinus, habetur *Serm. 6. in Psalm. 118. Venit Dominus Christus, & in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Ubi illa verba, *in Matre*, in Ambrosio non reperiuntur, suntque ab alio adjuncta. Bandellus in *Officio de Sanctificatione Beatissimæ Virginis Lect. 9.* hæc habet: Et in quadam Meditatione Anselmus ad Deum loquens sic ait: *Animam gloriosæ V. Mariæ in macula culpæ originalis creâsti, sed consequenter eandem à primaria labe purgâsti, & amictu mu-*

munditiæ decorâsti, & in sanctitatis puritate postea confirmâsti. Quis hæc legens non crederet, nihil potuisse clarius ab Anselmo dici contra Immaculatam Conceptionem? Et tamen certum est, totam hanc sententiam esse confictam, falsoque Anselmo attributam, cùm nec in Prosologio, nec in libro decem Meditationum (qui incipit, *Evigila*) nec in alio Meditationum libro, cujus initium est: *Dum considero*, nec alibi locorum inveniatur.

Eodem modo aliqui ex nostris adversariis citantes S. Bernardum in *Sermone de S. Joanne Baptista* (cujus initium est, *Hodie dilectissimi*] cùm nihil reperirent eorum sententiæ proficuum, illa verba ex integro addiderunt: *Cùm omnes homines præter Christum in iniquitatibus concepti sunt;* quæ verba in Bernardo non extãt. Bartholomæus quoque Spina *p.4 c 9.* citans Bernardũ *Epist.170 ad Innocentium*, hæc verba tanquam Bernardi allegat: *Sive ergò recõciliatio, sive Redẽptio, liberatio est de vinculis diaboli, à quo capti-*

vi

vi tenebamur. Ex quo colligit, B. Virginem, *si redempta fuit, fuisse sub vinculis diaboli, hoc est, peccato.* Quæ tamen verba non sunt Bernardi, sed subornata. Sic ubi S. Augustinus *in Psalm. 34.* dicit: *Adam mortuus est propter peccatum: Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ.* Bandellus, omisit illud *Adæ*: quæ omissio contra omnia edita exemplaria totum sensum hujus sententiæ corrumpit. Si enim dicas absolutè, *Maria mortua est propter peccatum,* videtur innui, esse mortuam propter peccatum proprium. Sed nimius sim, si omnia hujusmodi recenseam. Quæso te, si non Ambrosio, non Bernardo, non Anselmo reverentia est habita, quid tibi de D. Thoma polliceri possis? rivo parcet, qui fontes turbavit?

III. Atque ut propiùs accedamus ad D. Thomam, dico, dubitari non posse, illius sententias fuisse corruptas. Nam Pater Wielmus Ordinis Prædicatorum, Episcopus, in *libro pro defensione S. Thomæ: Execrabilius est,* inquit, *quod nequam*

& scelesti homines quidam, vel ad Thomæ auctoritatem enervandam, vel ut ego quidem arbitror, ad suam aliquam opinionem, quæ in controversiam vertebatur, tanti viri testimoniis fulciendam, & comprobandam egerunt. Imò paucis annis ab obitu S. Thomæ jam ejus libros corruptos fuisse, constat ex libro Ægidii Romani (qui discipulus Angelici fuit) cui titulus est: *Castigatorium in Corruptorem librorum Thomæ Aquinatis.* Obiit verò S. Thomas Anno 1274. & Ægidius Romanus floruit Anno 1290. Eodem modo Richardus Klapoel, Hervæus Natalis, Gulielmus Messelech, Joannes Parisiensis, Gulielmus Bollionius, Cambertus de Primatiis. Hi omnes ex Ordine Prædicatorum scripsêre contra corruptores Divi Thomæ, ut omittam Fr. Nicolaum Medensem, Durandellum & Ugonem Archi-Episcopum; de quibus videri potest Chronicum Dominicanorum. Si ergo toties, & jam à tot annis doctrina D. Thomæ corrupta est, quis me certum reddet, non multò magis

cor-

corrupta fuisse, quæ contra Immaculatam Conceptionem in libris S. Thomæ reperiuntur? Quantò enim magis hoc mysterium oppugnabant, quantoque magis auctoritas S. Thomæ ad illud evertendum valebat; tantò credibilius est, id factum esse.

P. Joannes Nicolai in Prologo ad impressionem Parisiensem S. Thomæ Anno 1663. testatur, *se textus Summæ D. Thomæ non à typographicis tantùm corruptelis expurgâsse, sed maximè ab affectatis, ac industriâ & studio relictis, quæ legitimum sensum, vel historicam sinceritatem, veritatemque perverterent: hiatus quoque plures, & lacunas implevisse ad supplendam seriem textûs, quæ alioquin nulla erat, ac dubium Lectorem relinquebat, propter non-satìs plenum sensum: vel in errorem inducebat propter sensum illegitimum. Sic cùm 1. p. q 1. a. 5. diminutè dicebatur: Practicarum scientiarum illa dignior; quæ ad ulteriorem finem non ordinatur; à se additum esse: Sed ad ipsam aliæ, sicut ad finem ordinantur.* Et in 2. 2. *q. 185. a. 7. Ubi habebatur, quòd Episcopus*

pec-

peccet quidem, si de bonis usui suo deputatis immoderata retineat; supplendum esse, non tamen ad restitutionem tenetur &c. &c. Vides, testimonio hujus Auctoris Summam Sancti Thomæ corruptam esse, & non solùm *typographicis erroribus* fœdatam, verùm etiam iis, qui *legitimum sensum, vel historicam sinceritatem, veritatemque perverterent.* Constat etiam ejusdem confessione, specie & titulo correctionis, *plures hiatus & lacunas ab eodem suppletas esse.* Sic in editione Antwerpiensi per Heerbergium emissa Anno 1612. cui præfuit Cosmas Morelles, contrà quàm habebatur in aliis editionibus Parisiensi & Veneta, omissa sunt in 1. *d. 44 q. unic. ad 3.* illa verba: *Immunis fuit à peccato originali.* De quo videatur Raynaudus in Pietate Lugdunensi *fol. 291.*

Eodem modo, ut suprà quoque notavimus §. 1. in omnibus antiquis editionibus S. Thomas in *Comment. ad Galat. c. 3. l. 6.* ità habet: *Mulierem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omnino im-*

immunis esset, ad minùs originis, vel veniali: excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria, quæ omninò immunis fuit à peccato originali, & veniali. Et tamen in recentioribus exemplaribus, quæ nunc manu teruntur, hæc ultima exceptio desideratur. Et in *Opusc. 4. de Salutat. Angel.* ut §. 1. ostendimus, non tantùm omissa sunt, quæ Virgini favebant, sed in sensum contrarium omnino commutata. Et in *3. p. q 27. a 2.* S. Thomas in hodiernis exemplaribus dicit B Virginem *nec ante animationẽ, nec in animatione, sed post animationẽ sanctificatã, & à peccato originali mundatã esse.* At Codex S. Francisci ad Muros Hispalenses, & Codex Patrum Prædicatorum Massilienſium nihil habet de puncto animationis; imò, quod maximi momenti est, Joannes Bromiardus Ordinis Prædicatorum, qui florebat circa Annum 1260. (ut habet Chronicon Prædicatorum) citans hunc ipsum locum S. Thomæ: *S. Thomas*, inquit, *3 p. q. 27. a. 2 ponit ejus sanctifica-*

tionis excellentiã, quantùm ad temporis prioritatẽ, in hoc, quòd ſanctificata fuit in ſui animatione, id eſt, in conjunctione animæ cũ corpore in utero matris ſuæ, non antè &c. Ità Bromiardus in *Summa Prædicantiũ. Verbo Maria, art. 2. n. 10.* Ergo tẽpore Bromiardi ſentẽtia Divi Thomæ loco citato, non ſolùm erat alia, ſed è diametro contraria illi, quæ modò legitur. Idque magis adhuc confirmatur ex S. Vincentio Ferrerio, qui domeſtico ſuo Codici, quo Summa S. Thomæ continebatur, obſervationes quaſdam manu propria adjecit, & inter alias ad *3. p. q. 27. a. 2. ad 3.* hanc habet: *B. Virgo fuit immunis à peccato originali, & actuali.* Ergo tempore S. Vincenti locus ille S. Thomæ apertè favebat, non obſtabat Immaculatæ Conceptioni. Vide, quæ de hac obſervatione S. Vincentii latiùs dixi. §. *5. n. 2.*

Cùm ergo appareat, S. Thomam, quando agit de myſterio Conceptionis, fuiſſe non ſemel violatum; quæ ex hoc Angelico Doctore producuntur,

non

non magis probant, quàm instrumentum probare potest, quod auctum, minutum, erasum, mutatumque est.

IV. *Resp.* 2. S. Thomas locutus est more omnium ferè Patrum; qui de peccato originali loquuntur, ac præsertim S. Augustini, qui dicunt in prima conceptione peccatum originale contrahi, cùm videlicet post conjugalem congressum ex parentum sanguine in utero materno prima massa recipitur & forma futuri fœtûs: non quòd fœtus inanimatus propriè loquendo peccati capax sit, sed quòd illa prima massa processerit ex concupiscentia & libidine (quæ aut ipsa est peccatum, aut certè effectus peccati primi Parentis) quòd maledicta sit à DEO (virtute videlicet primæ maledictionis Adamo inflictæ) ac morti obnoxia; & denique quòd ex illa ipsa DEI Maledictione efficaciam habeat, animam rationalem peccato originali inficiendi, hoc est privandi Divinâ gratiâ. Anima enim cùm à DEO immediatè creetur, non aliunde

 pec-



ac morti obnoxia; & denique quòd ex illa ipsa DEI Maledictione efficaciam habeat, animam rationalem peccato originali inficiendi, hoc est privandi Divinâ gratiâ. Anima enim cùm à DEO immediatè creetur, non aliunde

M2 pec-

peccato originali inquinatur, nisi quia corpori massæque damnatæ, & à DEO maledictæ unitur. Quemadmodum aqua natutaliter limpida & pura, fœtorisque expers, si sordido vasi infundas, continuò sordescit, fœtetque. Et hæc est illa *morbida qualitas*, quæ toties occurrit antiquos Theologos legenti; qualitas, inquam, triplici veneno mortifera, videlicet libidinis parentum, maledictionis Divinæ, & infectionis animæ rationalis. Multi ergo Patrum, & antiquorum Theologorum censebant, peccatum originale priùs esse in fœtu inanimato, quàm in anima; & ex fœtu in animam transire; non quidem quòd primarium suum effectum, hoc est, privationem gratiæ corpori imprimat, cùm corpus hujus effectûs capax non sit; sed quòd alios effectus, quorum corpus capax est, hoc est, concupiscentiæ, maledictionis, & virtutis infectricis. Eo ferè modo, quo anima rationalis tota est in oculo, in hoc tamen non producit primarium

su-